F. IOANNIS MANTELI
S. THEOL. LICENT.
ORDINIS EREMIT. S. AVGVSTINI

ARS ARTIVM,
SIVE
DE REGIMINE
SANCTIMONIALIVM
DIATRIBE.





ANTVERPIÆ,
EX OFFICINA PLANTINIANA
BALTHASARIS MORETI.
M. DC. XL.





REVMO PATRI HIPPOLYTO MONTIO S. TH. MAGISTRO, TOTIVS ORDINIS FF. EREMIT. S. AVGVSTINI PRIORI GENERALI.



D Rmi nominis tui claritatem, obſcurus & ignotus; ad Vrbium reginam ex vltimis Belgarum oris, ſubditorum tuorum poſtremus, timidè, & quaſi ſilicernius, exiguum hoc Opuſculum, maioris, ſinat Deus, poſtmodùm laboris prodromum, oblaturus venio, Pater Rme. Vt audeam, nimis quantum me alli-

ciunt; Doctrina, longo rerum vſu confirmata; Dignitas, cum abſolutiſſimæ vitæ ſanctimoniâ, atque ipſa tua ſingularis humanitas, amorque in Belgas intenſiſsimus.

Doctrina quidem, quæ priùs ad vniuerſi Ordinis gubernacula quàm aſcenderes, non in aulâ tantùm Sanctmi Domini innotuit, ſed quæ Te virtutum, vti nomine præfers, Montem altiſſimum, inſtar Atlantis vel Olympi, omnibus conſpicuum longè lateq; fecit; adeoq; Patrum ad Comitia generalia confluentium oculos perſtrinxit, vt Te, perfractis modeſtiæ tuæ clauſtris, ad illud culmen & honorem, ſolo virtutis eruditioniſq; tuæ lenocinio ineſcati, vnanimi aſſenſu euexerint. Quippe non ſine quodam quaſi miraculo alij co-

ràm

ràm viderant, alij fando audierant, acrem illam ingenij tui solertiam, miram agendi dexteritatem, atque in tantis negotiorum vndis perpetuam animi tranquillitatem. Et verò, quia exemplis efficaciùs trahuntur homines quàm dictis, iampridem etiam obseruarant in Te maximum Religiosæ vitæ zelum, morumque absolutissimam integritatem; adeò vt Sanctissimus Parens Augustinus in Te prorsum reuixisse videri possit. Neque latere vllum poterat, quam famam & amorem apud Sanctissimum Dominum, Eminentissimaq; Ecclesiæ lumina, Tibi Ordinique conciliaueras, cunctis semper, vt ille de suo Mercurio,

Superis Deorum
Gratus, & imis.

Vt omittam, Te in administrandâ tam arduâ prouinciâ adeò dexterè hactenus versatum, vt non modò electorum vota, sed spem ipsam superasse videaris. Et nos Belgæ (exigua gregis tui portio) quotidie inaudimus, quàm in Ordinis totius decorem auspicatò peragas; quàm solicitè & paternè bonos vbique terrarum promoueas, prauos compescas; quàm generosè disciplinam stabilias, zizania subpullulantia eradices; quo animo fructuque longinquas perplexasque visitationes instituas, atque in vnius domus Dei decorem, subditorumque salutem, toto animi nisu incumbas. Macte, R^me^ Pater, macte, inquam, nobilioribus hisce tuis curis; quæ, si nos cælestia edocet,

— *lau-*

— *lauroq; ue suâ dignatur Apollo*,
alios gradus, atque eminentioris dignitatis lucem Tibi quondam párere debent. Ecquis enim ambigat, non eiusdem artis esse, phaselum in lacu, & corbitam in Oceano gubernare? Et certè, vt aulæum tandem tuis hîc virtutibus obseram, quod, precor, studium est, quo non apprimè sis imbutus? quæ scientia, cuius intima non penetraris? adeò vt quæ in alijs diuisim, in Te coniunctim omnia sese infudisse videantur.

Iam si dignitatem tuam intueor, ecce clauum in eo Ordine tenes, vbi quot hactenus Generales, tot viri floruerunt cùm domi pietate ac modestiâ incomparabiles, tum foris zelo honoris Dei, prudentiâ pariter ac doctrinâ per vniuersum

orbem maximè admirandi. Quid enim, vt illos prætermittam quorum nomina adhuc in recenti memoriâ sunt, de vtroque Clemente, Ægidio Romano, Augustino Triumpho, Thomâ Argentinate, Gregorio Ariminensi, Bonauenturâ vtroque, Alexandro Oliuâ, Ægidio Viterbiensi, Hieronymo Seripando, Christophoro Patauino, aliisq́; dicam? Non sibi, sed Ecclesiæ; non tempori, sed æternitati vixisse dixeris. Atque horum non magis hodie locum tenes, quàm virtutes præstantiamq́ue: cui inest, quidquid in illis laudabile; deest, quidquid in vllo vmquam improbandum fuit.

Denique & nos Belgę, vt omnes narrant, Tibi non paruo in pretio sumus, quos tenerâ beneuolentiâ,

&

& fauore incredibili passim complecteris, nutris, foues. Vt nec Iacobo, liceat ita dicere, sui hodie desint Beniamini. Et quia ego è Belgis, atque etiam ob alia quæ dixi, extimulatus sum, R^{me} Pater, vti libellum hunc præclaro nomini tuo dicatum irem; quò mutuer à doctrinâ tuâ instructionem, à vitæ sanctitate exemplum, ab dignitate præsidium.

Neque hominum vlli meliùs hanc de Regimine Sanctimonialium διαζευξιν inscribere poteram, quàm Tibi, qui artem regendi animas adamussim calles, plurimaque Vestalium monasteria (trecenta iam olim fuisse Pamphilus noster testatur) imperio complecteris, prudentiâ moderaris. Etquidem pro innatâ tuâ beneuo-

neuolentiâ ſuggeres, ſi quid à me fortè minùs ad rem dictum, ſi quid alia fortè cogitanti; vel parum experto omiſſum.

Admitte igitur, R^{me} Pater, exiguam hanc profundiſſimæ obſeruantiæ,& verè affectus in Te Belgici teſſeram; & quia grandiori nobis hecatombe non licet, ſine hiſce velut floſculis, potiùs floccis, R^{mæ} Paternitati tuæ litemus.

Poſtremùm, obnixè rogo, vti me, meaque, exigua ſanè, ſtudia æternùm commendata habeas; optimumq; Męcenatem noſtrùm, R.D. Lucam Blommart, I. V. L. Cathedralis Eccleſiæ Iprenſis Canonicum ac Sigilliferum, eo loco ducas, quo benè de Ordine & ſubditis tuis meritos habere ſoles. Ipris Kal. Ian. M. DC. XL.

LE-

LECTORI.



Aldè ignarus sim, beneuole Lector, moris huius æui; si non varia, de tam nouo, & fortè tenui scripto, iudicia mihi parata præuidero. Iniri enim illorum vix potest numerus, qui longè promptiùs aliena censendi, quàm propria cudendi munus arripiant. Sed vt nonnullis eorum etiam hoc onus censendi adiutem, iampridem hanc litem litigaui coram æquissimo tribunali R. & Cl^mi^ *Officialis Iprensis; cuius, rogo, sententiam pro me audiant, ne plura præscribere necesse sit. Ille igitur ita ex æquo & bono pronuntiauit:*

REVERENDE PATER,

OPeris tui censuram petis. Quis dare præsumat? nisi de illo hominum genere,

nere, qui tantæ arti, eiusdemq; Doctori parem se, imò superiorē, iniquus sui æstimator arbitretur. Habeto autem, si non censuram, at sensum meum; quod sentio, non quod censeo. Artem artium ex merito vt tractares, nominisq; ac tituli mensuram re impleres, omnium eam scientiarum artiumq; floribus, ex SS. Patrum, summorum Theologorum, Philosophorum, Oratorum, Historicorum, ac Poëtarum hortis amœnissimis, decerptis, ita adspersisti; vt non argumento tantùm, sed ipsâ quoq; tractatione, Ars artium meritò dici possit, quod exhibes. Quos ego flosculos altiori quodam consilio adhibitos auguror, ne ad spinosum adeò horridumq; campum, si non labyrinthum (quem nimis ex vero repræsentas) spectandum calcandumq; inuitati, in ipso quasi limine, vel solo aspectu absterreantur, si nihil quod possit allicere, vel delectare, intersplendeat. Nec est quòd vereare, ne præposterus audias Scriptor, qui viris ad regendum præpositus, Monialium tibi regimen expendendum,

atq;

atq; ad regulas certas reuocandum sumpseris; his exsoluens, quod illis debebas. De Monialibus siquidem formandis solicitum esse, id proprium videtur Augustinianorum, praeunte scilicet illis inter Sanctos doctißimo, inter doctos Sanctissimo eorum Patriarchâ Augustino, qui illam Artium omnium artem, ipse artium Arx, diuinißimâ quadam, Monialium quarumdam cœtui, tum inter se tumultuantium, præscriptâ regulâ, mirabiliter complexus est; vt tanti Patris exemplo, videaris didicisse quid Monialibus debeas. Neque tamen actum agere te quisquam putet. Ille enim præcepta potiùs viuendi Monialibus dedit, tu rectè gubernandi præcepta Rectoribus: dispari viâ, ad eumdem scopum collimantes. Fallitur autem, quisquis hæc artis præcepta ad solas putauerit feminas pertinere, quasi eorum nihil ad viros regendos deriuari poßit. Idem enim de his esto, quod de D. Augustini regulis iudicium, quas ille Monialibus scripsit, viris autem postmodùm quoq; commendauit. Et quotus est,

cui

cui in virili corpore masculum semper constet pectus? Nec pauci reperiuntur, qui sexus quidem fortioris cùm sint, instabilitatem, mollitiem, aliaq; mulierum vitia habeant: quos proinde, siue Ecclesiastici, siue sæculares sint, eodem cum feminis medicamento necessum est curari. Vt ad Operis tui commendationem illud quoq; in quo finio, dici iure poßit, publicari Artem artium in bonum vniuersorum.

Godefridus Typoets.



F. IOAN-

F. IOANNIS MANTELI ARS ARTIVM, SIVE DE REGIMINE SANCTIMONIALIVM DIATRIBE.

CAPVT PRIMVM.

§. I. *Quàm difficile ſit regimen ſacrarum Virginum.*



NVM præeſſe pluribus, & quidem ſequioris ſexus, res omnino ardua eſt; nempe quæ longam experientiam, non vulgarem doctrinam & ſapientiam, vitæ integritatem, atque etiam otium, poſtulet. Et quamuis hæc adfuerint, non vſque tamen adeò facile eſt eos reperire, qui aliorum dignos ſe præſtent imperio:

perio: siue quia plerumque longo aliena interiecto spatio respicimus, nostra propiùs & propiùs intuemur: siue quia proprius aliquis regendi genius, felicitasque adsit necesse est, quæ potiùs pendet ex alieno. Sed cùm ita multitudinis assensu vsuque communitatis receptum sit, vt vnus præsit; cui ceteri pareant; longè tolerabilius est non adeò vndicumque idoneos efferri supra alios, quàm multitudinem moderatore destitui. Adeoque iis, ad quos hæc cura spectat, tantò impensiùs adlaborandum est, quantò vtilius magisque necessarium, ne tam decora Ecclesiæ militantis membra defectu idonei capitis langueant.

§. II. *Prima huius difficultatis ratio.*

HOMO naturâ liber & sui iuris alienum grauatè imperium admittit; quique intus in animo monarchiam quamdam gestat, omnem aliam dominationem externam aspernatur.

Et

Et quemadmodum omnibus ea innata est veri videndi cupiditas, vt etiam perditissimi quique mendacium oderint; ita huic, inquit magnus Latinè fandi magister, adiuncta est appetitio quædam principatus, vt nemini parêre animus benè informatus à naturâ velit, nisi præcipienti, aut docenti, aut vtilitatis caussâ iustè & legitimè imperanti: ex quo animi magnitudo existit. *Cic. lib. 1. de Offic.* Quid verò de feminâ-virgine dicam, cui ad transmissum hereditate maternâ fastum, mentisque elationem, ille titulus non mediocres stimulos addit, maioresque animos excitat? Quam ob caussam passim à Sanctis Patribus, ne plus æquo se ideò efferant, aut maritatis præferant, admonentur; sed vt morum sanctitate ornetur virginitas, & perfectum gradum vitæ perfectio subsequatur. Signanter D. Gregorius, Admonendæ, inquit, sunt peccata carnis ignorantes, vt & præeminere virginitatem coniugio sciant; & tamen se super coniuges non extollant: quatenus *Parte 3. Cura pastor. admonit. 29.*

 nus

nus dum & virginitatem præferunt, & ſe poſtponunt: & illud non deſerant quod melius eſſe exiſtiment, & ſe cuſtodiant, quò ſe inaniter non exaltent. Edicit quidem, fateor, Deus virginibus apud Iſaiam, *Qui cuſtodierint ſabbata mea, & elegerint quæ volui*, ſcilicet virginitatem, *& tenuerint fœdus meum; dabo eis in domo meâ, & in muris meis locum, & nomen melius à filijs & filiabus*. q.d. Vos eunuchi, qui, compreſſis carnis motibus, affectum praui operis abſcinditis, locum eſtis habituri in æternâ manſione & ſede Beatorum, etiam ante filios. An non Angelos, qui hoc nomine crebrò in ſacris Litteris donantur? quia quod illi naturâ poſſident, virtute comparaſtis. Ita tamen, vt ſi in humilitate perſtiteritis, nec per inordinatam ſuperioris loci appetentiam cum Angelis apoſtatis, qui vobis ſeruabatur, deſerueritis principatum. Vos quidem priuilegio virginitatis ſequemini *Agnum quocumque ierit*, atque canticum illud, quod corruptæ

Cap. 56. Ita interpretatur D. Amb. Exhort. ad Virgines.

S. Iudas in Canon.

Apoc. 14.

ruptæ & hirquitallientes voces non exprimunt, ſuauiſſimo concentu modulabimini: attamen memineritis, quia & illud coniugatæ audiunt, licet dicere nequeant, & per charitatem in veſtrâ celſitudine iucundantur, quamuis ad illa præmia non aſſurgant. Potuit Abraham coniugio ex obediẽtiâ inito magis Deo placuiſſe, quàm per virginitatem. cuius ſtudioſiſſimum fuiſſe vel inde liquet, quòd filium vnicum, ſpem poſteritatis, pignus finemq; matrimonij, tam parato, tamque libenti animo, vnicâ Dei voce excitus obtulerit in holocauſtũ. Recubuerit D. Ioannes ob virginitatis prærogatiuam in ſinu Saluatoris noſtri: Abraham ipſe pater credentium ſinum Lazaro aliiſque expandit. Neque enim, vt S. Fulgentius inquit, connubium eſt ex colluuione peccati, ſed inſtitutione Dei: & in eo quòd coniuges inuicem carnis debitum reddunt, in quantum id modeſtè faciunt, Chriſti præcepta cuſtodiunt; vt qui nullatenus à coniugali

Ioan. 12.

Luc. 16.

Epiſt. 2. de ſtatu viduali.

S. Ambros. lib. de Viduis. charitate & castitate discedunt. Quin imò habent virgines quod ab vxoribus discant: quæ enim cum viro castum cubile custodiunt, documento virginibus sunt, integritatem Deo esse seruandam.

§. III. *Virginitas nonnullis occasio superbiæ.*

AMiti, inquam, hac virtute est, quòd aliquæ ferociunt; & quamuis corpore subsidunt, animo tumeant. Et quia illis certior corporis libertas, nec vlla ex seruitute coniugali obligatio, ægrè, vt Menander ait, regi possunt, & amaræ sunt naturâ. Nec desunt quæ ingenio hac in re ludant, & vtinam! seipsas non deludant: Fatemur, inquiunt, mulieres subditas debere esse viris, iuxta effatum Apostoli; sed *Ephes. 5.* coniugatas, matrisfamilias titulo gaudentes, thori delicijs perfruentes; nec *1. Corint. 2.* virum propter mulierem, sed mulierem propter virum creatam, illam scilicet

licet quæ viro ſit in adiutorium, vitæ ſocietatem, prolis educationem: cuius vti vir principium eſt, ſiue materia ex quâ, ita ſit eiuſdem finis. at nos corpore integræ, in nullius poteſtatem tranſſcriptæ, iugo tam acerbæ ſeruitutis non ſubdimur. Et quantum putatis eiuſcemodi cogitationum æſtu ſubtiles quidem illas, ſed ſuperbire faciles mentes non exagitari? Audiui à viro ſpectato & fide digniſſimo, vnam-aliquam Æoli infernalis flabris deiectam eò vſque proceſſiſſe dementiæ, vt præ virginitate ſuâ D. Annæ, quæ Deo peperit matrem, felix illud germen, & inter omnes feminas benedictam, faſtidiret patrociniũ, nec illius vmquam vellet efflagitare preces; quaſi ſalutis ſuæ ſecura, ſi vel tantùm corpore integra perſiſteret. At longè ſecùs accidit: namq; hanc occaſionem Ægyptij, id eſt dæmones, nacti, virum eius, animam intellige, interemerunt, vt Sarai pulchritudine potirentur. Etiamnum Abbatiſſa quædam huic culpæ affinis

viuit, quæ, quoties Sanctissimi Patris Augustini incidit mentio, atque ab aliis pro iure meritoque suo laudatur, quasi semper abnuit; & fuerit quantus quantus velitis, respondet; At non fuit virgo, & turpiter quandoque libidinatus est. Proh! responsum virgine indignum, quo vel vno illa iampridem non obscurè prodit se non longè abesse à lapsu. Modestiùs religiosiusque S. Teresia virgo integerrima, quæ toto vitæ decursu impensè admodum D. P. Augustinum coluit, opem precesque eius assiduè efflagitauit, summoque in honore semper habuit, adeò ab illo propter amissam virginitatem numquam abhorruit.

Glorientur mulieres (pergo ex illarum sententiâ) se potentium & nobilium virorum vxores; nos in solius Dei summi æternique omnium Regis manus conuenimus: ille virginum haud secùs caput est, atque vxoratæ coniugum pallio inumbrantur. Nos coniugem immortalem, nos suauia castissi-

ma

ma habemus: nec enim finem noſter amor habet acceſſu alicuius turpitudinis, nec damnum pudor. Iactitent illæ nobiles ſe fecundo partu; quò plures generant, plus laborant. numerent gaudia iuniorum; ſed pariter numerēt moleſtias grandiorum. Nos intactæ, nec tamen ſteriles ſumus: fetus noſtri virtutes ſunt, quæ quantum numero, tantum gaudia matris augentur. Poſtremò, quaſi ad ipſas ſolas redempti generis humani pertineat gloria, Multas feminas, inquiunt, Scriptura diuina in lucem euexit; palmam tamen publicæ ſalutis ſolis virginibus dedit.

Sed vtinam D. Bernardo, qui & ipſe virgo perſeueraſſe traditur, Virginique Deiparæ vſque adeò carus fuit, potiùs quàm eiuſcemodi prauis ſuggeſtionibus obaudiant. Laudabilis, inquit, virginitas, ſed magis neceſſaria humilitas. Illa conſulitur, iſta præcipitur: ad illam inuitaris, ad iſtam cogeris. De illâ dicitur, *Qui poteſt capere, capiat:* de iſtâ, *Niſi quis efficiatur ſicut paruulus iſte, non*

Homil. 1. ſuper Miſſus.

Matth. 18.

Matth. 19.

intrabit in regnum cælorum. Illa ergo remuneratur, iſta exigitur. Potes denique ſine virginitate ſaluari; ſine humilitate non potes. Poteſt, inquam, placere humilitas, quæ virginitatem deplorat amiſsã: ſine humilitate autem (audeo dicere) nec virginitas Mariæ placuiſſet. Super quem, ait Iſaias, requieſcet ſpiritus meus, niſi ſuper humilem & quietum? Super humilem dixit, non, ſuper virginem. Si igitur Maria humilis non eſſet, ſuper eam Spiritus ſanctus non requieuiſſet. Si ſuper eam non requieuiſſet, nec impræg naſſet. Quomodo enim de ipſo ſine ipſo conciperet? Patet itaque vt de Spiritu ſancto conciperet, ſicut ipſa perhibet, *Reſpexit humilitatem ancillæ ſuæ* Deus, potiùs quàm virginitatem. Et ſi placuit ex virginitate, tamen ex humilitate concepit. Vnde conſtat, vt placeret virginitas, humilitas procul dubio fecit. Hæc mellifluus ille Burgundio.

Cap. vlt.

Luc. 1.

§. IV.

§. IV. *Altera huius difficultatis ratio.*

FEminæ vt naturâ, ita moribus à viris longè recedunt. Neque enim illæ ex terrâ rudiore à Deo creatæ ſunt; ſed ex eodem quidem quo Adam puluere, verùm iam in carnem & oſſa concreto & coacto; vnde molliores teneriorеſque viris euaſerunt. Nam & qui inſitione in alio trunco ſuccreſcũt rami, mollioris ac tenerioris ligni ſortiuntur corpus. Quamobrem illas quæ ex viri carne oſſibuſque deductæ effectæque ſunt, leuiores viribus, tenerioreſque ſenſu, ac mente leniores, facilioreſque eſſe, in confeſſo eſt. Quid enim ſemper læues malæ, vox ſemper exilis, cutis mollicula, niſi quamdam naturæ alterationem deſignant? S. P. Auguſtinus Varronem ſecutus, mulierem à mollitie, quaſi mollierem dicas, deriuat. Atque hinc illis mentis iudiciique naſcitur imbecillitas:

Ouidius. *Vt corpus tenerum, ſic mens infirma puellis.*

Imbecillitas verò leuitatem animi inconſtantiamq́ue gignit; vt quod de fortunâ à quopiam dictum eſt, non ſecùs de feminâ videatur poſſe accipi; nimirum compertum eſſe nemini, vtrùm ſimilis ſui, tenaxq́ue propoſiti vel cras ſit futura. Namque

Horat. lib. 1 Epiſt. 1. *Quod petijt, ſpernit; repetit quod nuper omiſit,*
Aeſtuat, & vitæ diſconuenit ordine toto.

Hinc fit vt, quæ inter viros vetare aut iubere exigui vel nullius cenſemus momenti vel ponderis, illis factu videantur impoſſibilia, toleratu grauiſſima; quodq́ue ſe facturas vel omiſſuras datâ quaſi fide pactæ ſunt, huius mox eas pœniteat. Lepidè, at veriſſimè, pro ge-
Truculent. nio ſuo Plautus:

Si benefacere cœpit, eius eam citò odium percipit.
Nimiſq́ paucæ efficiunt, ſi quid occœperint benefacere.

Neque

Neque plerumque quidpiam, quod ab eis impetratum velis, probant improbántve, quòd æquum ſit vel iniquum; ſed quia ipſis ſic libet: nec moderatoribus ſuis obluctantur quaſi malè imperantibus; ſed quia non idem quod ipſæ ſentiant.

Noui ingenium mulierum, inquit Terentius,

Nolunt vbi velis; vbi nolis, cupiunt vltrò.

Atque ſunt qui hac opportunitate vſi, contrarium iſtius quod à Sororibus impetratum volunt, imperant. Nam conſcientia feminarum nulli ſatis nota, abyſſus eſt inſcrutabilis, denſa nox; vt mirum non fuerit, illos quaſi palpando in inquiſitione illarum ſententiæ incedere. *S. Bernar. Serm. 3. de Aduentu.*

Vnde nequaquam ſat eſt, Rectorem eſſe virum probum & doctum: dexteritas quædam, comitas commoditaſque adſint, quâ ſexus imbecillitatem ferat, ſeſeque illarum genio nonnihil attemperet, non illarum naturam velit ad

ad suam inflectere: quod perinde foret atque pedem alienum suo calceo adaptare, aut annosam quercum ad hederam inflectere.

§. V. *Tertia ratio.*

AD intricati huius regiminis quasi clauum pernoscendum longâ experientiâ opus est, quæ non nisi regendo addiscitur; vt sæpè priùs naufragium feceris, quàm viam, per quam velificandum sit, noueris. Namque verissimè Manilius ait:

Lib. 1. *Per varios casus artē experientia fecit*
Exemplo monstrante viam. —

Cuius posteriora verba ad difficultatem hanc enodandam æquâ lance velim ponderes, *Exemplo monstrante viam.* Exempla felicis regiminis euentusque Rectori ab expertis quærenda sunt, grauioresque viri in consilium adhibendi, quod nemo vmquam sine euidenti periculo neglexit. Sed quotusquisque proprio iudicio innisus, aliena

aliena hæc adiumenta non præterit, ſolemni mortalium vitio? quia nos omnes putamus ſaperdas, cùm ſimus copriæ. Pluribus iſthæc aſtruere perquàm foret facile; ſed diſcendi auido ſufficiunt: aliena omnia aſpernanti etiam hæc pauca plus æquo longa erunt.

§. VI. *Quarta ratio.*

ORitur ab excellentiâ ſtatus virginalis, & neceſſitate illas probè inſtituendi: namque, vt D. Hieronymus ait, flos quidam, & pretioſiſſimus lapis inter Eccleſiaſtica ornamenta, Monachorum & Virginum chorus eſt. At etiam pueris Belgicis notum eſt, quàm ſollerti diligentiâ elegantiores flores cuſtodiantur, & contra omnem aëris hominumque iniuriam muniantur, quantâ ſolicitudine multo quæſitæ auro gemmę poſſideantur; denique, quàm anxiè quælibet pretioſa, quàm non oſcitanter ſeruentur. Hæc verò integritatis virginalis lilia, hos candidæ inno-

innocentiæ vniones, fidei custodiæque tuæ Ecclesia credidit: quare instar serui nequam & infidelis futurus es, si culpâ tuâ ista elangueant, hi perdantur. Thesaurus est Ecclesiæ pretiosissimus,& verè talentum Atticum;quod nisi ad mensam dederis, vt fœnus facias, otiosi & inertis mercatoris pœnam non effugies. Ne fallaris,tua possessio non est, vt de eâ statuere possis quod velis; sed apud te depositum, cuius in districto Dei iudicio accurata tibi sit reddenda ratio: non tantùm illius vt nihil perierit, sed quantum accessione virtutum auctum sit. Illustrior portio gregis Christi, vt D. Cyprianus virgines vocat, in officio contineri nisi ab illustri non potest. Neque ab hac difficultate sese expediunt,qui vno effato, quò à se omne virgines erudiendi debitum amoliantur, suauiusque viuant, omne genus femineum rebus sublimioribus,& quæ mentis agitatione perficiuntur, ineptum pronuntiant; tam in alium sexum

ſexum iniqui, quàm Caligula crudelis in vniuerſum populum Romanum; qui omnibus ciuibus vnum guttur exoptabat, quò ſæuiendi labori parceret. Sufficere, modò grauioribus criminibus ſe non obſtringant, etiamſi ſine deuotione, ſine vllo pietatis ſenſu, ſine affectione, aridâ quadam conſuetudine exercitia ſpiritualia obeant. Mali medici eſt deſperare, ne curet. Optima animi incitamenta ſunt, cùm docetur aliquis poſſe quod cupiat. Appoſitè Cicero, Quoniam, inquit, non viuitur cum perfectis hominibus, plenéque ſapientibus, ſed cum his, in quibus præclarè agitur, ſi ſint ſimulacra virtutum; etiam hoc intelligendum puto, neminem omnino eſſe negligendum, in quo aliqua virtutis ſignificatio appareat.

Seneca de Clem. c. 17.

Lib. 1. Offic.

§. VII. *Etiam virgines maſculis virtutum exercitiis idoneæ.*

NEque enim natura cum mulieribus ingeniis nouercaliter egiſſe exiſtimanda eſt, aut Deum in arctum

ctum illarum virtutes contraxisse, vt illis sola votorum essentialia pateant, ab orationis mentalis aliarumque sublimium virtutum exercitio arceantur. Par illis ad perfectionem Christianam vigor, par ad honesta facultas: dolorem laboremque ex æquo, si consueuere, patiuntur. Quòd si mihi animo insideret lumen, quod aiunt, Solis ostendere in meridie, proferrem in medium exempla B. Claræ nostræ de Monte-falchio, S. Teresiæ, S. Catharinæ Senensis, aliarumque illustrium Virginum, quibus ad cælestia contemplanda, ad heroicos actus exercendos, illa corporis iuxtà ac animi puritas plurimum adiumenti contulit. Mens siquidem virginea Deo adhærens, & imaginis in se cælestis referens effigiem, vbi cursus suos ab equorum perturbatione placidauerit, in illum æthereum purumq; locum plausu spiritualium euecta pennarum, despicit omnia quæ in hoc mundo sunt; & æternis intenta virtutibus supra mundum

D. Ambros. lib. 3. de Virgin.

dum labitur. Et in virginibus ſacris Angelorum vitam videmus in terris, quam in paradiſo quondam amiſimus. Elias, inquit D. Chryſologus, neſcit *Serm. 43.* mortem, commoratur Angelis, conuiuit Deo, & terrenus hoſpes, ſupernas poſſidet manſiones. Et quare? niſi quia nullis corporei coitus fuiſſe permixtus cupiditatibus inuenitur. Per virginitatem Ioannes fit Angelus, cæleſtis in terrâ, & totam ſolus cepit, tenet, complectitur Trinitatem. Et hic ipſe finis hominis eſt maximè excellens, ſcilicet vnio intellectus cum Deo; vnionis autem finis ipſe Deus. Caueat igitur qui *S. Doroth. doct. 14.* eiuſcemodi ſpartam nactus fuerit, vel dicere vel cogitare magnas eſſe virtutes, nec poſſe adiri à feminâ. hoc enim eſt, nihil ſpei in diuinâ ope habere, ſed animis ad bonum opus torporem indere. Infirmitas mulierum præcipuè carnis eſt; at in animâ ſibi virtus ſedem figit ſemper firma ac potens: ſtudeat potiùs (illi ſiquidem vni propè incumbit, animas illas Deo dicatas perpolire)

vt, dum ad clauum conſcientię illarum
Pſal. 106. ſedet, dextrè nauem dirigere, & appellere in portum voluntatis earum, vt quàm ornatiſſimæ virtutibus, ſublimes in perfectione, Sponſo ſuo aliquando appareant. Hoc ille à curâ tuâ exigit, huius, ô Rector, poſcêris rationem. Aut exiſtimabimus, illum cæleſtem deuotarum mentium Sponſum minùs delectari internâ mentis ſpecie, nec requirere à virginibus ſuis ornatum ſpiritualem, dignamque tantis nuptiis veſtem, aut ſibi minus præſtari velle, quàm Medorum Rex à puellis conſpectui ſuo ſiſtendis exigebat? Præcepit ille, quò Hebræa aliqua coniux ſibi fieret, vt ſeptem puellæ
Eſther 2. omnem conferrent induſtriam, & *ſex illa menſibus oleo vngeretur myrrhino, & alijs ſex quibuſdam pigmentis & aromatibus vteretur*. Proh, quantum operæ, impenſæ & temporis ad ornatum vnius feminæ! verè de illâ Comicus: *Dum comuntur, dum ornantur, annus eſt*. Et ille qui adeò mundus eſt, vt in com-

comparatione illius ipſi Angeli praui ſint, aſtraque immunda; patietur in thalamum ſuum induci virgines non probè adornatas, non decentiſſimè cultas? De ſpirituali ſiquidem Chriſti cum virginibus connubio ſcribit D. Fulgentius: Enimuerò quem corporaliter ſancta virginitas peperit, huic ſpiritualiter ſancta virginitas nubit, à quo & ſancta virginitas fecundatur, vt perſeueret intacta. Vnigenitus Dei Filius, vnigenitus Virginis Filius, vnus omnium ſacrarum virginum ſponſus eſt. Et quia virgo à coniugij neceſſitate abſoluta, ſpiritualia tantùm debet ornamenta ſectari, atque cæleſtis Rex concupiſcit decorem eius, delectatur ſpecie & pulchritudine; eccuius munus erit, niſi eunuchorum qui ſeipſos caſtrauerunt propter regnum cælorum, quique gynæceo Eccleſiæ præſunt, illis mundum muliebrem rerum cæleſtium procurare? non frigidam piis illarum conatibus aſpergere, ſed ardorem potiùs fouere, cùm ad medi-

Epiſt. 2. ad Probam de Virginit.

Pſalm. 44.

Matth. 18.

tandum, tum ad contemplandum, easque ad sublimitatem perfectionis Christianæ animare, difficultatum occursantium nebulas cispellere? Et quamuis hæc consultò ab alijs, quos spectatos & prouidos cognoueris, quandoque fiant; te quidem labore exonerare poteris, at curâ non liberabis. *Tuæ vigilantiæ, tuæ industriæ commissę sunt: & si labores molestiasq; refugis, vnà virtutem deseras oportet, quæ non nisi hoc satellitio cincta incedit. Esto, etiam conatui tuo successus quem speraueras non respondeat; Deus non profectum sed studium spectat: sufficitque tibi plura esse in voto, quàm magisterio. Deinde vel tui vnius caussâ id ita fieri expedit, iuxta versus illos apud Ciceronem, qui per multa transferri possunt:

Lib. 1. de Offic.

Homo qui errāti comiter monstrat viā,
Quasi lumen de suo lumine accendat, facit
Nihilominùs ipsi vt luceat, cùm illi accenderit.

Postre-

Poſtremò,ſtudia iuſtitiæ,quæ ad ſalutem ſubditarum pertinent, non modò otio, ceteriſque vitæ commodis, ſed aliis omnibus ſtudiis officiiſque ſcientiarum anteferenda ſunt.

Et ita verum illud quod initio dixi, difficile eſſe Sanctimonialium regimen: quod qui attentiore conſideratione in animum admiſerunt, non facilè ad illas regendum exilient,aut ad eiuſmodi munus aſpirabunt. Sunt tamen non pauca quæ has difficultates non modicè leniant: inter quæ illud haud poſtremum, quòd optimæ illæ animæ aſſiduis calidiſque precibus Deum pro Superioribus ſuis interpellent, & impoſſibile ſit, plurium benè orantium non exaudiri preces. Namque virgines matris Eccleſiæ hoſtiæ quædam ſunt; quarum quotidiano ſacrificio vis diuina placatur. Teſtem appello S. Gregorium,vt hanc partem concludam,qui Sanctimonialium precibus haud dubitauit aſcribere, quæ tum ad tria millia in Vrbe viuebant,

auersos Longobardorum gladios à iugulis Romanorum, atque ipsos tanta inter discrimina tot annis potuisse persistere.

CAPVT II.

Senem, an iuuenem Sanctimonialibus præfici oporteat?



SSEMVS prorsus felices homines, si tempus, vt puerum, adolescentem, iuuenem, senem facit, ita prudentes, modestos, pios castosque redderet: possetque arduum illud munus tutò concredi senibus, si ea quotidie ad virtutes, quæ ad annos fieret accessio. At sæpè secùs accidit, fiuntque nonnulli, vt vinum quod ætatem non fert, cum annis & moribus deteriores, habetque apud eos apologus ille Æsopi locum: Numquam leonem vulpes viderat; cùm huic fortè occurrisset, ita fertur exterrita, vt pænè moreretur formidine. Eumdem conspicata iterùm,

rùm, extimuit quidem, ſed nequaquam vt dudum. Tertiò obuiàm illi facta, tam firmo animo fuit, vt accedere propiùs & compellare leonem auderet. Haud ſecùs iſti ætatis initio clauis confixi timoris Domini, atque à Confeſſariorum & magiſtrorum ſanis adhortationibus recentes, ad omnem rei turpis occurſum non minùs horruerunt, quàm ſi leonem infernalem coram oculis contemplati fuiſſent: at mox liberiores audacioreſque crebrâ cum hominibus conuerſatione fiunt, deinde licentiùs impunitatis ſpe allecti, cum feminis agunt; donec in flagitia, hominibus quidem ignorata, ſed quæ illum omnia videntem oculum nequaquam latere poſſunt, prolabuntur; terribiliſque horror in noxiam ſecuritatem tandem deſinit. Vt quiſpiam illis meritò occinat: *Quomodo cecidiſti de cælo Lucifer*, nimis ſpecioſus in decôre tuo, in decôre ætatis tuæ, qui *manè* vitæ tuæ, veluti doctrinâ rutilans, flagranſque charitate ſtella orie- *Iſaiæ* 14.

 baris?

baris? An non, dum eiuſcemodi homines cogitas, viſio oſtenſa regi Babylonio in mentem redit? Is in ſomnio vidit ingentem hominis ſtatuam, cuius caput aureum, humeri brachiaque argentea, pectus æneum, ferreæ tibiæ, quæ omnia in pedes luteos fragileſque deſinebant. Inſtar puri puti auri initium conuerſationis illorum fuit: nihil non fulgebat ſplendore nequaquam adſcititio; ſed natiuo; vita probata, mores aurei: at lapſu temporis fugit color optimus, verſumque eſt pretioſum metallum in ſcoriam. ſonori tamen inſtar tubæ argenteæ ob doctrinæ præſtantiam aliquamdiu remanſerunt, donec & huic metallo quaſi rubigine obductâ, etiam à docendo deſtiterunt. Atque ita ſenſim in deteriora prolapſi, nihil niſi lutum diuitiarum cœnumque libidinum cogitare cœperunt.

Dan. 2.

Thren. 4.

Quæ bonâ venerabilis ſenij veniâ dicta ſunto, non in cuiuſpiam vituperium aut contemptum: abſit. Et iure pleno planoque Antiqui

Crede-

Credebant grande esse nefas, & morte piandum,
Si vetulo iuuenis nō assurrexerit, aut si
Barbato cuicumq; puer; licet ipse videret
Plura domi farra, & maiores glandis aceruos.

Vitia quorumdam tantùm non tam increpamus, aut lapsos ludum facimus, quàm miseremur, casu percellimur, exemplo perterremur. Nam de ceteris virtutibus, inquit D. Hieronymus, verbi gratiâ, sapientiâ, temperantiâ, mansuetudine, liberalitate, possunt alij iudicare; pudicitiam solam nouit conscientia; & humani oculi huius rei certi iudices esse non possunt, absque his qui passim, in morem brutorum animalium, libidini expositi sunt. *Epist. ad Fabiolam.*

Ad spartam igitur hanc ritè adornandam non hoc ipso omnes idonei, quò longam annorum computant seriem, magnum bonæ valetudinis, exiguum probitatis exhibent specimen:

ſed qui prudentiâ ante alios, moribus ſenes, vitâ probati. Quamobrem quiſquis ætate etiam non ita prouectâ huic muneri à Superioribus admoueris, animo ne nimiùm concidas, néve periculum ante periculum cogites. Ipſius indomiti elementi tumidas infidaſque vndas, iuſſu Domini, Petrus calcauit impunè.

At nomen hoc Apoſtoli, alterius rei mihi memoriam refricat. D. Ioannes Euangeliſta, ætate minor, corpore venuſtus, eloquio dulcis, abſque vllius culpæ periculo, Caiphæ aulam, verè aulam, id eſt flagitiorum officinam, flagitioſorum altricem, ſceleratorum conuenticulum, naufragium innocentiæ & integritatis, idque ex ipſius principis ſcientiâ, intrauit, ſedit, commoratus eſt: D. Petrus Apoſtolici cœtus princeps, ætate longè maior, vxoria expertus lenocinia, vſu edoctus, in aulâ iſtâ, ad vnius ancillulæ occurſum horruit, verbo proſtratus eſt, altoque virtutis culmine excidit. Et quam ſimilis

facti,

facti, dissimilis exitus caussam assignabimus? nisi quia ille obedientiâ Domini munitus, vt qui eò missus, actuarij cuiusdam instar, qui audita, visa, æternis Euangelij monumentis consignaret: hic curiositate, & intempestiuâ pietate potiùs se ingessit, quàm intrare compulsus est. Non est periculosior ad aliam aliquam prælaturam, quàm feminarũ, ambitus. Quid enim id esse censeam, nisi Solis currum velle conscendere, cuius moderandi dum Phaëthon præpostero ardet desiderio, incendio seipsum aliosque inuoluit? Quamuis totus sis ipse spiritualis, non est ex asse spirituale quod optas: nec ætas cuiusquam etiam florentior reiicitur, sed animus accuratè examinandus est.

Solatio, inquam, sit iis qui iussui alieno obsequentes, manum huic operi admouent, saxumque assiduè voluendum sustollunt, factum Patriarchæ Abrahæ. Cùm, inquit D. Ambrosius, *Lib. 1. de Offic. cap. 24.* iussus esset à Deo exire de terrâ & cognatio-

natione suâ, nónne considerauit, vxorem imbecillem ad labores, teneram ad iniurias, decoram ad incentiua insolentium, sine summo periculo duci non posse? Et tamen subire omnia, quàm excusare consultius diiudicauit. Timebat vxoris pudori, timebat propriæ saluti, suspectas habebat Ægyptiorum libidines; ideoque monuerat vt se sororem esse ipsius diceret: nihilominùs præualuit apud eum ratio exequendæ deuotionis. Considerauit enim quòd Dei fauore vbique tutus esse posset; offenso per inobedientiam Domino, etiam non posset illæsus permanere. Quàm hæc viro probo, & quæuis difficilia ex obedientiâ aggredienti, propriè conueniunt, atque extra anxietatem animique fluctuationem ponunt? neque quempiam, vt Apostolus monet, ob solam annorum paucitatem prætereundum aut contemnendum esse. Attamen si eligendi adsit facultas, & rem rectâ reputes viâ,

§. II.

§. II. *Senes viris, viros adolescentioribus præferes:*

PArtim quia eam viriditatem, quâ magis capere capiq; possunt, illis ætas abstulit, habentque non mediocre ab ipsâ naturâ contra illecebras præsidium: partim quia in senibus decrescunt cetera, ieiunia, vigiliæ & eleëmosynæ laboribus parandæ, chameuniæ, huc illucque discursus, &, ne sermonem longiùs protraham, cuncta quæ per corpus exercentur, fracto corpore minora fiunt. Nec hoc dico quòd in iuuenibus, & adhuc solidioris ætatis, his dumtaxat qui labore & ardentissimo studio, vitæ quoque sanctimoniâ, & orationis ad Dominum Iesum frequentiâ, scientiam consecuti sunt; frigeat sapientia, quæ in plerisque senibus ætate marcescit; sed quòd adolescentia multa bella corporis sustineat, & qui necdum triumphum cecinerit, quî alios bellandi artem doceat? *D. Hieron. lib. 2. Epist. 12.*

Et

Et inter incentiua vitiorum, & carnis titillationes, quasi ignis in lignis viridibus, suffocatur sapientia, vt suum non possit explicare fulgorem. Senectus verò eorum qui adolescentiam suam honestis artibus instruxerunt, & in lege Domini meditati sunt die ac nocte, ætate fit doctior, vsu tritior, tempore sapientior, & veterum studiorum dulcissimos fructus metit.
Idem lib. 1. Epist. 30. Ætas rursus illa grauior & ad calcem spectans, ab impudentissimis dominis liberat, voluptatibus, gulæ modum imponit, libidinis frangit impetus, auget sapientiam, dat maturiora consilia, & frigescente corpore, dormit cum perpetuâ virgine Sunamitide: luxuriamq; contemnens cum Berzellai, delegat
2. Reg. 19. eam filio adolescenti Chamaam; & non vult transire Iordanem, atque in alios fines de suis finibus, id est regionibus, exire. Et quanta hæc pro felici regimine tenerioris sexus momenta, infirmum frigidumq; corpus, valida igneaque mens! Vt nihil intereà dicam, non

non modò virgines naturâ verecundiores, verùm plures Senatorij ordinis viros, atque in Ecclesiasticis dignitatibus constitutos, doctrinâ præcipuos, lubentiùs conscientiæ suæ arcana, & si quid humanitus accidit, senioribus Confessariis detegere: siue quia illos magis silentio assuetos existimamus, ineptiores inferendæ qualicumque iniuriæ; siue quia prudentiâ, consilio, vsuque rerum pollent; seu etiam, quia vnà cum illis, depositum peccatorum breui terrâ obruendum speramus, mergendaque arcana illa æternæ obliuionis amne: siue denique, quia non ita citò videantur percelli nouis narrationibus, nec corripiendi contagione peccati, etiamsi quid inhonestius factum pro maiori conscientiæ tranquillitate describendum sit. Quæ etiamsi ad ætatis in occasum vergentis commendationem fortè non faciant; profectò imbecillitatem miseriamque nostram demonstrant: cui dum senectus opitulatur, non potest non quàm

quàm optimè de plurimis mereri.

* At tu, ætate iunior, experientiâ posterior, consilioq; minùs exacte, licet alta secteris,& adolescentiæ incentiuum ratione veluti iniectâ humo comprimas, perfectæq; ætatis gradum scandas; noueris lubricum iter esse, tantoque tibi periculosius, quantò præ cariosis senibus placere vel inuitus potes, etiam

Iuuen. Sat. 6.

—— intactior omni
Crinibus effusis bellũ dirimẽte Sabinâ.

CAPVT III.

§. I. *De Officio Rectoris, id est qualem seipsum præbere debeat.*



ISTVD profectò aut S.P. Augustinus, vtpote monastices professor, & sacrarum virginum parens & institutor, aut nemo alius dicet. ille igitur, vbi hoc agit; id est in Regulâ suâ, scribit, Pręposítum admonens: *Circa omnes seipsum bonorum operum præbeat exemplum,*

Siue Epist. 109.

breui

breui periodo longam regendi artem complexus. Non quòd prudentissimus pariter atque sapientissimus legislator ea omnia ab aliorum moderatore exigat, quæ illum docere vel adhortari alios contigerit: quia & gladiatores perfectissimos non tantùm magistri & præpositi sui, sed etiam idiotæ, & superuacuè quique adhortantur de longinquo, vt sæpè de ipso populo dictata profuerint: monentque passim magni etiam in Ecclesiâ Doctores, non quod ipsi possint, sed quid velle debeant qui Christianæ perfectionis studium sectantur: sed quia multò ampliùs exempla proficiunt quàm præcepta. Nec enim difficile quod iam factum existimatur, nec inutile quod probatum, nec ab instituto Religionis alienum, quod à capite hereditario quodam paternæ virtutis vsu & successione in membra diffunditur. Appositè ad hanc rem etiam Ethnicus scriptor, Longum, inquit, iter est per præcepta, breue & efficax per exem-

 pla.

Seneca Epiſt. 6. pla. Zenonem Cleanthes non expreſſiſſet, ſi eum tantummodò audiſſet: vitæ eius interfuit, ſecreta perſpexit, obſeruauit illum an ex formulâ viueret. Recordemur igitur, quid Apoſtolus Petrus præcipiat Sacerdotibus: *Paſcite qui in vobis eſt gregem Dei, prouidentes non coactè, ſed ſpontaneè ſecundùm Deum: neq; turpis lucri gratiâ, ſed voluntariè: neq; vt dominantes in cleris, ſed forma facti gregis ex animo.* quia peſſimè tum ſe res monaſtica habet, cùm quòd præuiâ virtute effici debet, id ſolo tentatur imperio. Ideoque altiùs in animum admitte iſtud Doctoris Gentium: *In omnibus teipſum præbe exemplum bonorum operum, in doctrinâ, in integritate, in grauitate.* & haud difficilè ſubditas tuas ad eadem impelles. Subiiciunt ſiquidem ſe homines alterius judicio imperioque pluribus de cauſſis. Sed nullâ re æquè ducuntur feminæ atque blandâ inuitatione & magiſterio virtutum: ſiue id fiat innato feminis æmulandi ſtudio, vere-

Hieron. Epiſt. ad Nepotian.

I. Petr. 5.

Tit. 2.

verecundiâque ſuadente; ſiue quia id fore vtile perſuaſum habent, quidquid illius cuius vitam æſtimant, expreſſerint. Profectò nulla certior ſubditas ad Religioſam perfectionem ducendi via, quàm ſi ipſe moderator ab iis quæ eò ducunt non abhorruerit, ſi in orationis, mortificationis, obedientiæ, paupertatis ſtudio fuerit primus. Nihil æquè, inquit D. Ephræm, animum hominis ducit ad ſalutem, iunioreſque ad laborandum intendit, atque ſi doctorem re ipſâ & exemplo ad virtutem cohortatorem inuenerint. illa enim vox libentiùs auditorum corda penetrat, quam dicentis vita commendat: quia dum quis loquendo imperat, oſtendendo adiuuat vt fiat.

Vis igitur illas Religioſæ humilitatis & modeſtiæ perquàm ſtudioſas? Humilitatem ſequere, non quæ oſtenditur & ſimulatur geſtu corporis, aut fractâ voce verborum, ſed quæ puro affectu cordis exprimitur. Aliud eſt enim virtutem habere, aliud virtutis *D. Hier. lib. 2. Epiſt. 20.*

 ſimi-

ſimilitudinem. Nam veluti aurichalcum nulli metallo verum auri colorem imprimit; ita nec ſimulata virtus ſolidam virtutis ſpeciem cuiquam affricat. Exoptas habere morigeras, maiorum decretis obſequentes, propriæ voluntati valefacientes? Memineris eò vſque cetera omnia animalia, inferioremq́; ipſius partem, Adamo promptiſſimè obediiſſe, donec ipſe Deo diuiniſque præceptis ſubauſcultauit. ipſe ſibi ceteriſque animantibus norma huius virtutis extitit. Placet ipſas videre rerum terrenarum curâ exutàs, atque Euangelicæ paupertatis peramantes? Nulla maior ad pecuniæ contemptum exhortatio ſubiacet, quàm quòd ipſe qui exhortatur, in nullis diuitiis inuenitur. Cauſam requirit D. Chryſoſtomus, cur modò, cùm olim duodecim homines totam pænè orbis farinam fermentauerint; quando innumeri doctores ſunt, has Gentium reliquias conuertere non valeant. reſpondetque, non Apoſtolici culminis dignitatem,

Tertul. lib. de Patient.

Homil. 47. in Matth.

tam, non miracula ab ipſis edita hoc præſtitiſſe; ſed verum ac non ſimulatum gloriæ atque pecuniarum contemptum, & quia nullam ſæcularium rerum omnino curam habebant. Alioquin ſi vita diſſenſiſſet à prædicatione, adeò miracula illos commendabiles non feciſſent, vt inde etiam impoſtores exiſtimati fuiſſent. Quam ſanctiſſimi Doctoris reſponſionem non eſt difficile ad propoſitum transferre.

Idem de temperantiâ, caſtitate, patientiâ, ſtudio mortificationis, aſſiduitate & puritate orandi, eſto iudicium. Quomodo enim victus tenuitatem illis inculcare ſuſtinebis, ſi ante Sacerdotis Chriſti pauperis & crucifixi ianuam, & qui cibo quoque veſcebatur alieno, lictores conſulum & milites excubare, ſubditæ, ſæpè nobiles, ſemper imbecilles, intelligant, iudicemque prouinciæ meliùs apud te prandere quàm in palatio? Caueſis, maximè ſi Monaſterij ſalem lingas, ne Sororibus mollis animi, & cutem bellè *D. Hier. lib. 2. Epiſt. 12.*

 curan-

curantis opinionem ingeras: ex hac irrisio, ex irrisione contemptus. Neque enim Deo diuinisque rebus idoneum censebunt, qui deliciis detinetur terrenis; nec spiritui vacare posse, qui corporis curam facit in desideriis. Arcebis quantum poteris omnes externos, ne te potiùs onus aut sarcinam habeant quàm caput: aut aliqua dicacior illud Belgicum tibi accinat, Sorores fila, Patrem congios ducere. ideoque vetus illud edicant:

Epol, Syrisce, te curasti molliter,
Lauteque munus administrasti tuum.
Abi.

D. Ambros. lib. 2. de Virginib. Deinde castitatem ille docere facilis, qui seuero carnis vitia coërcet affectu, qui ne vel vngulam dimittit Ægypti tyranno, qui numquam verbo, visu, corporis motu vel leuiter discinctus apparuerit. Victoriam porrò patiens loquitur, iuxta illud: *Qui patitur, vincit:* & qui triumphum de aduersis egerit, idoneus est aliis erudiendis patientiam; poteritque ex veteri militiæ formu-

formulâ edicere: *Hactenus tibi licet: hîc consistes: eò progredere: huc reuertere.* Si denique talis fuerit Rector, qui spiritualium lumine instructus clarare internas pectorum noctes didicerit, qui iacentes erigere, mœrentes exhilarare, ægras solari, scrupulosis condolere, torpentes inflammare, omnibusque omnia fieri doctus fuerit; qui silentij & solitudinis, quantum muneris ratio sinit, amator, orationis & mortificationis ipse studiosus exstiterit, piorumq; voluminum lectioni addictus sit; næ illo paruo negotio Sorores ad mortificationem voluntariam orationisque sublimitatem perducet, nutantia fulciet, humilia subleuabit. Fatemur equidem, vt D. Aponius ait, satis & vltrà quàm efferri potest, quòd gloriosior ille sit, qui, nullis præcedentibus exemplis, quod laude dignum est fuerit operatus, quàm ille qui alterius magistrâ operâ edocetur. Sed ad hanc animi celsitudinem imbecillior ille sexus vt plurimùm non assurgit; vt *Lib. 1. in Cant.*
 præire

præire ipsi necesse sit, si subsequi in rectâ viâ velis. Ideoque acquiesco in D. Hieronymi epiphonemate: Non confundant opera tua sermonem tuum; ne,cùm in Ecclesiâ loqueris, tacita Sanctimonialis respondeat: Cur ergo hæc quæ dicis ipse non facis? Delicatus magister est, qui pleno ventre de ieiunijs disputat. Accusare auaritiam & affectum proprij & latro potest: Sacerdotis Christi os, mens, manusque concordent.

Lib. 2. Epist. 12.

§. II. *Non sit nimiùm morosus.*

AT alia hîc quoque adhibenda cautio est, ne

Horat.

Dum vitant stulti vitia, in contraria currant:

atque ea omnia Rector à subditis suis exigat, quæ ipse præstare potest. Id nimiùm inclementis & morosi Superioris est; & ab humore melancholico, qui regimini aliorum minùs idoneus, calor hic prouenit. Et quia omnes, quæ magna sunt, & præter ceterorum homi-

hominum consuetudinem fiunt, admiramur, magnisque eos efferimus laudibus, in quibus excellentes quædam & singulares virtutes perspiciuntur: sufficere debet æquo Moderatori, vt id à subditis consequatur, si illum in maiori ob id pretio habeant, taciteque venerentur, ad cuius perfectionem attingere nequeant.

Ad hæc, austerum esse in vigiliis, abstinentiâ, ieiunijs, aliisq; corporis afflictationibus, non vsque adeò magnum videri debet; vt quæ recenter conuersi à sæculo, & corpore robustiores, meliùs obseruare possint, quàm ij qui diutiùs Deo seruierunt. At mores vel suos vel alienos mutare, singulasque animi virtutes formare, perficere; id verò grandis est studij, longæque consuetudinis; adeoque res dignissima, cui potiùs Rector anxiè immoretur, non milium, vt est in prouerbio, terebret. Scribit S. Teresia virgo illuminatissima, quâ occasione & impulsu R. Pater Hieronymus Gratianus de Matre Dei Ordi- *Lib. 2. Fund. cap. 22.*

Ordinem Excalceatorum ſit amplexus; quantumque illi, etiam in ſummo perfectionis adipiſcendæ annisu, patientiæ & moleſtiarum deuorandum fuerit; ne per indiſcretionem magiſtri cuiuſdam ſui in Nouitiatu frangeretur, animoque concideret. Qui licet alioqui vir probus eſſet, tot tantiſque auſteritatibus & mortificationibus ſuis præibat, vt profectò, inquit Diua, illi opus fuerit potenti & æthereo illo ſpiritu, quo à Deo donatus fuit: alioquin impoſſibile fuerat, vt in inſtituto perſeueraret: quo etiam factum vt in Ordine permanſerit, egregiamque poſteà aliis operam nauauerit. Duc igitur, id eſt, exemplo præi, volentes; nolentes ne trahas: inflectere enim velle imbecilliorem ſexum in quamlibet partem, id verò eſt vaſculis vitreis aliam formam inducere.

CAPVT

CAPVT IV.

Æqualiter Rectori ab amore atque odio subditarum cauendum. Aliquot in vtrumque malum cautiones.



VM aliquando istius recordatio fabulæ animum subiret meum, quâ dicitur Dædalus fugæ locum, occlusis vndique terrâ mariq́ue viis, per ipsum æthera inuenisse; atque remoto cortice moralis sensus nucleum inuestigarem: visum est mihi, per Dædalum, virum aliquem industrium, & longo rerum vsu certâque consuetudine confirmatum, designari; per Icarum, iuuenem opis externæ consiliiq́ue indigum, qui euasurus sit fœdam vitiorum & insipientiæ seruitutem, si rectè monenti auscultauerit. At quia humanus animus, non satis prouidus sagaxq́ue futuri, regiâ virtutis viâ sæpiùs exerrat, aut alta nimiùm sublimiaq́ue con-

concupiſcit & ſpirat, aut ad ima nimis fæculentaque ſe abiicit; prouidè vt cetera id etiam Dædalus monebat, ne ſe nimis vicinum ſoli applicaret, humanæq; imbecillitatis cera illius calore liqueſceret, néve inferiora aëris leui alarum remigio radens, vndas tangeret, ſeque ſalſi liquoris onere grauans ſubſideret; ſed inquiebat,

— *Medio tutiſſimus ibis.*

Monitum reuerà aureum, quod in Rectorem Sanctimonialium apprimè cadit. Illæ namque & amoris ignem, & odij frigidum onus, vno concluſa pectore circumferunt; meritoque ambigas, ab vtro plus periculi exiſtat. Aut enim, inquit Publius,

Amat, aut odit mulier: nihil eſt tertiū.

In extremis verſatur, auream mediocritatem tenere neſcit: ſemper, vt eſt in prouerbio, aut minus quàm canem, aut plus quàm ſenecionem iacit. Odio, inquam, aut amore in eos, quibuſcum agit, fertur: amicitiæ leges, quæ media eſt inter hæc duo extrema, haud callet.

Et

Et quia facillimè ab vno extremo ad aliud commigrat, ambidextrum esse oportet, atque nouisse scutum opponere ex vtraque parte, ne veneno hæc illita tela ad te penetrent. Quid veterum monumenta magis testantur (nostra enim silentio libens transeo) quàm affectatam illius sexus cruditatem mox in delicatissimi amoris transiisse delicias; atque versâ vice, amores ardentissimos posteà in Moscouiticum quoddam odij gelu obriguisse? Potuítne mulier magis effusè, magis perditè adamasse hominem, quàm Tyriorum Regina Troianum erronem deperibat? At mox tam impotenti odio in adulterum suum extimulata est, vt arrepto ferro sibi pectus, amoris tanti quondam domicilium, letali vulnere reseraret, quò illicò effunderet, quidquid vmquam Æneæ in eo spirasset. Notior est illa ex sacris historia quàm vt pluribus commemorem, vbi Sphinx illa Ægyptia amorem, quo prius erga Iosephum castissimum iuuenem Gen. 39.

uenem

uenem ferebatur, in tam deteſtabile odium conuertit, vt, niſi vir eius, homo ſagax, mortis ſupplicium differendum cenſuiſſet, vel quia accuſatrix femina, vel quia plura ipſius innocentiæ iam tum indicia expertus erat; nec poſſet in animum dimittere, tantum ſcelus hominem exterum, imò ſeruum, timidum ſcilicet pectus, nec tantis amoribus obnoxium, hactenus in aliis ſibi fideliſſimum, Deique ſummè timentem, committere potuiſſe: niſi, inquam, harum de aliquâ cauſsâ frigidam muliebribus flammis vindicandiq; ardori affudiſſet, de innocentis vitâ conclamatum fuiſſet. Quò ſpectaſſe videtur Sapiens, *Non eſt ira ſuper iram mulieris*. Et Euripides apud Planudem:

Eccli. 25.

In vitâ Aeſopi.

Furore multo ſæuit iratum mare,
Proniq; fluuij, & ignis acris impetus,
Inopia acerba, acerba alia quàm plurima;
Sed nihil acerbum & noxium, vt mulier mala.

Tum

Tum quòd asperitas illarum, siue frigus quoddam odij in viros, quod non habent, sed præ se ferunt, facile sit expugnatu, atque vel leuiter admoto igne inardeat, testatur eiuscemodi amorum magister:

Aspera si visa est, rigidasq; imitata Sabinas, Ouidius.
Velle, sed ex alto dißimulare puta.

Amoris siquidem vis à primordiis ipsis vltimis indita est à naturâ omnibus omnino animantibus ob species perpetuandas; feminis verò præter hæc teneritudo quædam mollitiesque animi, quò ad miserendum paruulorum magis ferantur, accessit. Et huic teneritudini etiam in probatis & sanctis, diabolus insidias struere, atque in illicitum amorem propellere non cessat: simili prorsus modo quo phlegmaticos, consiliis aliter idoneos vel maximè, acediâ quadam & nimiâ cunctatione infestat; sanguineos ad alta natos, superbiæ typho inflammare studet; biliosos, acres & attentos, nimiâ irâ suffunde-

fundere conatur. Deinde, vt quidam apud Ciceronem ait, vt quisque minimum firmitatis habet, minimumque virium, ita amicitias appetere maximè. Atque ex eo fieri, vt mulierculæ magis amicitiarum præsidia quærant quàm viri; inopes quàm opulenti; calamitosi quàm ij qui putantur beati. Tertia amoris muliebris ratio: Vnaquæq; virginum formosam se esse credi vult, [ideoque etiam multæ ex illis, teste fidelissimo D. Ambrosio, cùm studium castitatis profiteantur, affectant adminicula pulchritudinis, vt comptiores prodeant, nitidiore vultu quàm sacra Domini deceat] atque amari gaudet, amatoremq; suum tamquam formæ testem laudibus extollit. at si qua est quæ nondum se à quoquam diligi sentiat, se minimè formosam arbitratur. Vt autem quempiam ad redamandum inclinet, ecquod potentius philtron quàm ipse amor? At enim miraculi instar habeo quod de Hypatiâ Alexandrinâ memorant, illam

Lib. de Amicit.

Lib. 3. de Virginib.

Suidas. Eunapius.

illam, cùm formosissima pariter atque doctissima esset, turpem voluisse videri, quò amasio displiceret: qui illius amore saucius, cùm æstum libidinis edomare non posset, palamque morbum suum tandem illi detegeret; ipsa dicitur, prolatis muliebribus quibusdam pannis, atque in amatorculum coniectis, & impuri ortus signo demonstrato, dixisse; Tale est quod amas, adolescens, nihil autem pulchrum. Quo facto ille erubuit, atque ad sanitatem rediit.

CAPVT V.

Odij amorisque muliebris incommoda.

IGITVR ad clauum in hoc muliebri salo sedenti vnius nec Vlyssis prudentia, aut vnius Palinuri experientia sufficiet, vt incolumis rebusque omnibus integris, inter Scyllam hanc Charybdimque enauiget. Ex hoc, ex

 illo

illo látere haud diſpar periculum. Si namque ſubditę Rectorem ſuum odiſſe inceperint; ſegniùs obaudient, monita etiam ſana & ſalubria primùm faſtidient, deinde aſpernabuntur: neque enim magni refert quid, ſed à quo vnumquodque fiat. Concionum nullus aut exanguis erit vſus; nec niſi admodum timidè, & parum pro Sacramenti Pœnitentiæ libertate, arcana conſcientiæ ſuæ detegent. Et quid denique niſi nudum imperij nomen retinet, etiamſi alia omnia habuerit, qui animos ſubditorum non poſſidet? Quin, vt Ennius ait,

Quem metuunt oderunt, quem quiſq; odit, periiſſe
Expetit.

Grande mediusfidius malum: at illius comparatione quod ab amore imminet, haud paulò minus. Etenim humanitati vbi aliquantiſper indulſeris, atq; amari potiùs exoptaueris quàm timeri; extemplò metuendum eſt, ne ingenuus & ſpiritualis amor degeneret: namque

Nomi-

Nomine amicitiæ ſæpè fefellit amor:
& quæ ſe filiarum inſtar geſſerunt, matrum audaciam induant; quiq́ue priùs vt ſubditis imperabas, tamquam à comparibus cogaris imperium accipere. In ipſo enim aditu, vt prudentiſſimè monet S. Antiochus Abbas, primæ conuerſationis multâ cum lenitate loquuntur, & prono in terram vultu continenter illacrymantur, reuerenter admodum habitum motumq́ue corporis ementiuntur, ſuſpiria attollunt amarulentiæ plena, de ſanctimoniâ aut caſtitate etiamnum interrogant, magnâ cum voluptate auſcultant diſſerentem. Alter atque alter mox congreſſus ſuperiora illa ſenſim repellit ac repudiat. Audaciores dehinc factæ, ſermones texunt, qui præmolli quodam lenocinio demulceant; &, quamuis ipſæ nolint, ad turpitudinis affectionem inuitent. Hac verò arte maximè pollent coniugium expertæ, quæ eminus & quaſi ex ſpeculâ virorum affectus contemplantur, Homil. 18.

E 2 doctæ,

doctæ, quò ventus tulerit, vela vertere. A quibus vel ideò plus quàm à virginibus metuendum est: illæ enim multò simpliciores artem alliciendi necdum norunt. Quis tamen satis sibi caueat? cùm D. Hieronymus exclamet: O quantarum virginum sperata pudicitia in die iudicij dehonestabitur! Quàm paucæ viduæ cum mariti cadauere voluptatis desiderium extulerunt! Neque enim Selemno amne omnes abluimur: quem eam vim habere scribit Pausanias, vt qui viri quæve feminæ se eo abluissent, amorum suorum continuò obliuiscerentur.

Epist. ad Fabiol.

Lib. 7.

Et quis erroribus labyrinthi huius tempestiuè satis se explicet? Nemo, reor, nisi qui ductum fili ab Ariadnâ expansi, id est ipsâ Sapientiâ, sequi velit. Hunc sequemur, si consilium cautionesque seniorum non neglexerimus; à quorum sententiâ, quantum possum, non recedam.

CAPVT

CAPVT VI.

Contra Sororum odium alexipharmacum.

ERIO intelligant, te nihil minùs quàm eiuſcemodi prouinciam ambiuiſſe, nec iſtud munus quæſitum in vitæ tolerandæ ſubſidium, ſed ex obediendi neceſſitate tibi imponi permiſiſſe. Ideoq; liceat ipſis per te clàm quaſi gloriari, non te ab alio præfectum, ſed ab ipſis poſtulatum. Neque id moleſtè feres, ſi nomen imperij penes ipſas remaneat, res ipſa ad te plenè transferatur.

Studioſè deinde cauebis, ne ſexum videaris odiſſe, aut inſtitutis illarum velle aduerſarier. Ac proinde hæc aut ſimilia, licet ab antiquiſſimis & probatiſſimis Scriptoribus prolata, hominibus de triuio relinques, qui feminarum vitia aliquanto faciliùs culpant, quàm virtutes imitentur. *Mulier eſt* S.Maxim. Serm. 39.

E 3 *viri*

viri naufragium, quietis impedimentum, vitæ captiuitas, quotidianum damnum, voluntaria pugna, sumptuosum bellum, leæna complectens, exornata Scylla, animal malitiosum: * *quies serpentis, diaboli solatium, officina dæmonum, vipera vestita.*

* Anastas. Nican. quæst. 63. in Script.

O Iupiter, cur tantum ac tam fallax malum,
Solis, mulieres, deduxisti sub iubar?

Isthæc, milliaque eiuscemodi Hippolyto, Melanioni, Euripidi, aliisque hominibus rigoris plus quàm Stoici dimitte, qui tamen iram muliebrem non impunè tulerunt. Vt enim remuneratione beneuolentiæ, & officiorum vicissitudine nihil illis suauius; ita grauissimè mulieres ferunt virorum animos obsequiis à se palàm, & quasi indicto bello, auerti. Quin potiùs, vbi res & occasio se obtulerit, quod verè in ipsis commendabile, quod decorum, quod laude dignum, id non fictè deprædica.

Adhæc, quantum potes, deuita, ne noui-

nouitatum ſtudioſus, eas de antiquâ conſuetudinum ſuarum formulâ deiicere videaris. Cui ſaxo ſi humeros admoueris, illudque voluere inceperis; vbi aliter obſiſtere haud poterunt, odio ſe vindicabunt. Et quamuis illa quæ in monaſterium introducta volueris, multò ſint ipſis futura vtiliora, magiſque accommoda: attamen, quia futura pro incertis habent, ægerrimè longâ poſſeſſione confirmatis exuuntur. Veluti iis qui beneficia iam diu in nos contulerunt, licet magna, non tantum deferimus, quantum aliis quos nobis adhuc benefacturos ſperamus: ita mulieres quæuis alia, eò quòd in expectatione & metu ſint, præteritis grauiora augurantur.

CAPVT VII.

Contra earumdem amorem remedia.


ADVERSVS hunc, veluti Palladis ægide tectus, perſtabis illæſus, ſi duo iam inde ab exordio regiminis non pigeat obſeruare.

Primò, ſit tibi cum illis ſermo in omnibus moderatus & paucus, & qui neceſſitatem loquendi magis indicet quàm voluntatem. Si namque rectè calculum ponas, omnis amor alloquio naſcitur, comprehendit, fouetur. Quid Vlyſſem, ſerium alioquin & ſeuerum hominem, adeò amabilem Circæ, Nymphiſque ipſis, niſi ſermo reddidit, & lingua omni melle dulcior?

D. Hieron. lib. 2. Epiſt. 20.

Non formoſus erat, ſed erat facundus Vlyſſes.

Ideoque antiqui Mercurium cum Venere eodem in templo ſoliti dedicare; quid niſi ſignificantes ſermonem & blanditiam conciliatricem amoris eſſe? Atque ſcitè Solon olim nouæ nuptæ præceperat guſtato Cydonio malo ſponſo accumbere: non tam leuem breuemque illam oris fragrantiam ſpectans, quàm hanc aſſiduam blandi aut ſuauiloquentiam, quâ maritum caperet ac teneret. At non niſi de rebus ſacris & ſeriis, inquies. Eſto: omne quod vltra medium eſt, ad vitium ver-

vergit. etiam ſub his roſis, ſub his liliis, aliquis anguiculus latet. Quemadmodum enim ſplendorem lucernæ oleum; ſic & colloquium mulieris longum, ſæpiuſque iteratum, ignem voluptatis reaccendit. Nec fortaſſis tam facilè venti quàm feminæ hac in re variant, vt à ſacris ad profana, à comitate ad petulantiam, ab hilaritate ad laſciuiam faciant ſeceſſionem. Habent enim vt linguam, ita aures prurientes; & propenſis ad fabulas numquam poteſt interrogandi deeſſe materia, ſpecioſa fortè, ſed non expers periculi. Quid? quòd non vna vnâ loquendi de cauſsâ crebriùs ſacram exomologeſin, frequentet, crebriuſque Confeſſarium accerſat.

S. Antiochus Abbas Hom. 17.

Vbi rurſus obſeruandum eſt, ne prudens Rector difficilem ſe ſubditis præbeat, néve vnius-alicuius vitio iuſtam totius ſocietatis indignationem incurrat. Quot enim hinc mala exiſtunt, dum non ſatis tempeſtiuè, non ſatis promptè internis Sororum neceſſita-

ſtibus occurritur? Verecundantur ſiquidem poſteà arcana ſua tentationeſque prodere, difficultate aditus ad Superiorem perterritæ; quibus ſolâ promptitudine ſuccurri poterat. Sed quia, vti iam dictum eſt, ſuperfluæ & non neceſſariæ ſermocinationes præcidendæ ſunt; nec moroſi, nec tetrici hominis nomenclaturam reformidabis, ſi alloquio inſatiabiles deprehenderis. Quin imò aude palàm edicere:

Mulier, ſatius eſt hoſtis vt fiam tibi,
Quàm ſi obſequar nunc.

Inclementia Chriſtiano, ſeueritas patre digna eſt, in hoc non nimiùm eſſe indulgentem. Enimuerò ſummus amor eſt, ſic odiſſe. Habearis durus, dummodò pericula arceantur, benè eſt: traducaris tamquam minùs commodus & ſeuerus; ſi periculo tempeſtiuè te ſubtrahas, benè eſt. Malo crudelem cum tuâ alienâque ſecuritate, quàm lenem, quàm facilem, quàm omnium horarum hominem cum alicuius periculo mali. Quâ etiam de
cauſsâ

causſâ ſcribit Nauarrus, feminas in congreſſibus virorum debere benedictionem petere; quò ſanctum aliis benè precandi deſiderium, inhoneſtum amorem cohibeat & refrenet. Ridere verò & rideri, vt D. Hieronymus admonet, ſæcularibus prorſus relinquendum eſt: grauitas perſonas ſacras decet. Iſtius autem hîc memineris, ſeniores ac prudentiores Religioſas ratione potiùs & humanitate deuinciendas eſſe, quàm ſeueritate. Idem de viſu, quod de ſermone eſto iudicium; nam vbi oculus, vt habet parœmia, ibi amor; vbi manus, ibi dolor. Atque hæc ratio Vulcanium quaſi ſcutum eſt, quo te contra amorem conſerues & defendas. *Manual. cap. 14. §. 10.*

Alterum, vt boni operis exemplo ſubditis præeas, virtutes factis potiùs doceas quàm verbis; atque tibi reuerà ſis, qualem te à Sororibus haberi concupiſcis. Hoc pacto illis verecundiam adaugebis, & non modicam tui venerationem incuties: quæ Venus

Verti-

Verticordia profectò est, nec amorem exorbitare sinit. Quid enim æquè atque ingenuus timor adstringat? Alioquin sunt nonnulli, qui suadent fame, ignominiâ, aut etiam laqueo coërcendum. At quia hæc pluribus superiùs astruximus, horum Lectorem adhuc memorem rursus nihil moneo, nisi sequens Caput huc commodè aduocari posse.

CAPVT VIII.

Nulla à Sanctimonialibus munuscula accipienda, nulla danda.

Lib. 32. cap. 1.


DE Torpedine pisce scribit Plinius, illum odore, & quadam aurâ sui corporis ita piscatores afficere, vt, si vel procul & e longinquo hastâ virgâque attingatur, quamuis præualidos lacertos faciat torpescere, quamuis ad cursum veloces alligari. Huic non absimiles videntur feminæ, quæ vsque adeò grauem odorem pestiferamque auram mune-

muneribus suis afflant, vt quisquis ea admiserit, torporem quemdam, & animi aliàs intensi & erecti dissolutionem induat. Magna, inquit vir doctrinâ & rerum vsu celebratissimus, his munerum muliebrium lenociniis integuntur mala, virus suum sparsura accipientium damno. Sanè vel sola beneficij memoria, fortium etiam virorum corda emollit ac frangit: ac imperuia antè pectora muliebribus substernit pedibus, tam mollibus tam dura robora: quæ nullo dæmonum molimine flecti potuerunt, femineo succollant dono. magis etiam nocent, si circumferantur dona, si frequentiùs ob oculos versentur. quæ res minùs castas inducit cogitationes. & qui nullis antè minis aut carnificum terroribus, dæmonumque sæuissimis incursibus, nunc ad muliebria dona ceruices inflectunt. Hactenus ille. Et quandoquidem crebrior affatus, titulusque Filiæ & Sororis animum satis ad amorem proritant, munuscula non secùs atque Æoli flabra

Scribanius lib. 2. cap. 21. Cœnobiarchia.

non

non admittes, ne prunæ reuiuiſcant, atque priùs damnum quàm periculum percipias. Idem ille experiens pariter atque ſanctiſſimus optimarum virginum moderator monet, Caueto, inquit, omnes ſuſpiciones, & quidquid probabiliter fingi poteſt; ne fingatur, antè deuita: muliebria munuſcula, & ſudariola, & veſtes ori applicatas, & oblatos & deguſtatos cibos, blandaſque ac dulces litterulas ſanctus amor non habet.

S. Hieron. Epiſt. ad Nepotian.

Sed an muliebris muneris veneno ſeti vis exemplum? Cùm Medea maximè vindictam contra Creontem Regem ſpiraret, aliæque publicè ſe vindicandi occluſæ eſſent viæ, ad munera conuertit animum; nec malefica eſſe potuit, niſi munifica fieret. Atque inde totius ferè aulæ exitium. Quærentique apud Senecam,

Medea.

Quâ fraude capti? ——

aptè reſpondetur;

—— *Quâ ſolent reges capi,*

Donis. ——

Nec

Nec capti modò Reges, ſed & regiæ ædes correptæ flammis, quæ muneribus occulebantur. Nullus Veſeuus, nulla Ætna tam grande alit incendium. Prudenter proinde Troianus Laocoôn immanem illum Græcorum equum, ſeu machinam, vel ideò fraudis ſuſpectum habuit, quòd Palladi dono eſſet:

——— *An*, inquit, *vlla putatis* *Æneid. 2.*
Dona carere dolis? ———

Vtinam ad illa tempora, dicere ſolebat C. Pontius Samnis, fortuna me ſeruaſſet, & tunc eſſem natus, quando Romani dona accipere cœpiſſent! non eſſem paſſus diutiùs eos imperare. Niſi igitur, ô Rector, imperio euerti velis, de quo mox, munuſcula iſthæc à te diuertes. *Cicero lib. 2. de Offic.* Ottho III. Imperator, monitus à S. Heriberto Colonienſi Archiepiſcopo, vt caueret ab vxore ſibi rebellantis, & poſteà ſeuerè puniti Creſcentij, non ſat cauit: ſed pulchritudine mulieris pellectus, primùm amare, deinde blandiri, poſteà ad concubi- *Baronius ad ann. 1002.*

cubitum persuadere: sed nihil obtinuit à callidâ feminâ, nisi pacta matrimonialia intercessissent, atque spes daretur redimiendam diademate Imperatorio. Quod cùm ille votis iam potitus, & quasi securus amorum, diutiùs differret; illa, quod erat, se omni spe destitutam cernens, vela obuertit, tacitoque premens sub corde dolorem (namque, vt illa pessima mulierum dicebat,

Medea apud Sen. *Professa perdunt odia vindictæ locum*) chirothecas veneno infectas Imperatori, nihil nisi delicias & amores meditanti, dono misit. Lætus ille gaudensque induit, atque morbum letalem, quo mox miserè confectus interiit. Sed hoc ab irritatâ & odio flagrante. Et amans Deianira Herculem veste, quam dono habuerat, interemit; quemque sæuiens Iuno aliena mulier duodecim immanibus laboribus frangere non potuit, vxor munifica euertit. At bono dolo, & ignara fecit. Certius igitur testimonium à sacris

Libris

Libris accipe. *Melior est*, inquit Sapiens, Eccli. 42.
iniquitas viri, quàm mulier benefaciens. Minus tibi periculi si vir oderit, atque si mulier adamauerit, beneficiisque auxerit. Testor Dauidis, proh! miserandum casum. Huic numquam Saul occultâ fraude infestisque armis tantum nocere potuit, quantum de virtute illius Bethsabea blandiens, stragulisque Babylonicis molliter illum componens, delibauit.

Et quamuis isthæc munuscula nullum amoris ignem, nullam concupiscentiæ prauæ scintillam spirent; libertatem auctoritatemque magnoperè adimunt, vt liberè quæ sentias edicere, securè quæ velis vetare non possis. Danti, animos addis, tibi demis. Et vt queruntur mulieres semper aliquid, aut exprobrant; id eò inuerecundiùs faciunt, quò magis se habere aliquid putant, quod officiosè, aut amicè, aut cum labore suo factum queant dicere. Tum quanta hæc inuidiæ area, quanta æmulationum seges, si reliquæ paria

præſtare nequeant? Quantum deinde affectus proprij periculum, vt improbo ſeu labore ſeu induſtriâ acquirant quod donent? quod niſi conſequi poſſint, odium capitale in dantes pariter atque accipientem partientur. Porrò, vt omnia alia abſint, non mediocrem hæc facilitas contemptum parit. Audi virum primarium ex antiquis: Facilè contemnitur Clericus, qui ſæpè aduocatus ad prandium, non recuſat. Numquam petentes, raró accipiamus rogati. *Beatius* enim *eſt dare, quàm accipere.* Neſcio enim quomodo etiam ipſe qui deprecatur vt tribuat, cùm acceperis, viliorem te iudicat: & mirum in modum, ſi eum rogantem contempſeris, plus te poſteriùs venerabitur. Cuius mali periculum etiamſi abfuerit, conniuendum quandoque erit. Hinc Alcamenes interrogatus, cur à Miſſenijs oblata munera recuſaſſet, reſpondit: Quoniam ſi recepiſſem, cum legibus pacem habere non poteram.

D.Hieron. ad Nepotian.

Act. 20.

Quia

Quia verò hæc omnia etiam accidunt, si ipse quidpiam dederis; contrahes manum tuam, nec damna damnis emes. Non sit in toto monasterio præter publicum fortè quoddam donarium, quod Sorores glorientur esse à Rectore. Quid enim tua nisi largitiones interpretabuntur, quibus illarum animos delinire libertateque exuere velis? Et quamuis æqualiter omnibus dederis, calumniæ inuidiæque fomitem non auferes: neque enim ex pretio, sed affectu illa æstimabunt, quo te æqualiter ferri in omnes numquam vel ipsa Suada mulieribus persuadebit. Esto, aliquas animum à te auersum gerere intelligas, ne muneribus beneuolentiam earum vmquam consectêris: tum enim te non Superiorem, sed ministrum & præbitorem putabunt; ideoque contemnent, faciesque auersione suâ firmiores.

CAPVT IX.

In primis Rectori adlaborandum, vt pacem veramque charitatem inter Sorores foueat.



D quisquis aſſequi aliquando potuerit, haud minori facilitate etiam ingentia monaſteria moderabitur, quàm nauclerus ſolo clauo plures vectores quò libet transfert; aut phonaſcus inter aptè concinentes modos facit, brachiumque mouet; aut Sacerdos plures de eodem altari communicat. Quia coniunctorum, quod etiam in gregibus animalium patet, facilis cuſtodia, ita vt puer paruulus agat eos: at, ſi diſtrahantur, & in diuerſa abeant, nec plures quidem illis cuſtodiendis ſufficiunt. Quamque pulchritudo aptâ membrorum compoſitione mouet oculos, & delectat hoc ipſo, quòd inter ſe omnes partes quodam lepôre conſentiunt; tam ſocietas humana amore

amore & conſpiratione animorum concinnè cohærens, homines pariter Superoſque exhilarat. Deo in primis facilem, vt ita dicam, aditum in monaſteria ſternit. Vbi enim ille hoſpitabitur, aut quò diuertet, niſi vbi charitas viget & conſenſio animorum? *Factus eſt* ſiquidem *in pace locus eius*; & Pſal. 75. lubentiſſimè medius inter eos commoratur, qui in ipſo habent cor & animam vnam, in quo omnia humana colliguntur, & extra quem omnia diffluunt. Act. 4. *Vbicumq; fuerint duo vel tres congregati in nomine meo, ibi ſum in medio eorum*, inquit pacificus Rex noſter, non multitudinem approbans, ſed conuenientium vnanimitatem. Matth. 18. Quid autem illi loco defuerit, vbi adfuerit Deus? Intrauit aliquando Ieſus in domum Zachæi, & illicò ipſe omneſque familiares in numerum filiorum Abrahæ adoptati ſunt. Luc. 19. quàm ignobiles in quantam nobilitatem, quàm turpes & egeni in quantum decorem, & cæleſtes diuitias? Iniit quo-

Luc. 4. que cæleſtis hic medicus ædes Simonis Petri; & febres, quibus ſocrus illius tenebatur, fugam ſtatim corripuerunt. Ioan. 11. Inuiſit Marthæ domum, & ad vitæ præſentiam mortuus reuixit: Maria ſupernæ dulcedine contemplationis perfuſa, omnium quæ in mundo ſunt penitus oblita, ſedebat ſecus pedes Domini, audiebatque verbum illius, verbum bonum, verbum conſolatorium, quod omnes ægræ mentis dolores abſtergeret, infinitis audientem bonis cumularet. Neque enim illius præſentia modò morbos, mortem, aliaque mala fugat; ſed omnia bona pariter cum illo comitantur, hoſpitibuſque obueniunt. An non igitur omnibus remis veliſque, vt dicitur, annitendum eſt, vt pax vnitaſque in monaſteriis ſeruetur, foueatur? ſi abacta fuerit, reducatur? Quo zelo, quo dolore, quâ charitate, quàm effuſâ humilitate S. P. Auguſtinus optauit, & pro virili conatus eſt, læſam pacem D. Hieronymum inter Rufinumque, monaſti-

monastices professores, resarciri? vt qui optimè nosset, sine illâ neminem monachi nomen obtinere posse. In hunc modum scripsit D. Hieronymo, quem Rufinus grauissimè læserat: Acerrimis dolorum stimulis fodior, dum inter vos cogito tantæ amaritudinis irrepsisse perniciem. Heu mihi! qui vos alicubi simul inuenire non possum, fortè vt moueor, vt doleo, vt timeo, prociderem ad vestros pedes, flerem quantum valerem, rogarem quantum amarem: nunc vnumquemque vestrûm pro seipso, nunc vtrumque pro alterutro, & pro aliis maximè infirmis, pro quibus Christus mortuus est, qui vos tamquam in theatro vitæ huius cum magno sui periculo spectant. Tom 1. Epist. 15.

Si enim vllibi gentium pax vtilis necessariaque, monasteria feminarum numquam destituere potest, siue ipsum cœtum, siue singulas spectes. Vidistin' aliquando, proiectâ humo vbi apes volitant, illas turbari toto alueari, quæ alioquin ordinatissimè degunt?

 Idem

Idem imbecilliori illi ſexui contingit: ſi exiguus aliquis diſcordiæ & ſimultatis puluiſculus excitetur, inquietantur omnia, maximo tumultu clauſtra perſtrepunt, aulæ Epiſcoporum & Principum illarum inquietudine inquietantur. Apage igitur ab hoc regimine Æolos iſtos qui motus cient, qui feminarum diſſenſionibus delectantur. Vt id Regibus quandoque liceat, qui Proceres ſibi à potentiâ diuitiiſque ſuſpectos, mutuis armis euertendos committunt, quò illos in ordinem redigant; à monaſteriis hæc politia quàm longiſſimè exulare debet. Dementis eſt in tranquillo tempeſtatem optare aduerſam; ſapientis, quauis ratione exortam ſedare.

Rurſus veluti vita hominis, eſt apta corporis animæque vnio; ex vnione pax, ex pace ſalus exiſtit: quemadmodum è contrario, ex ſectione diuiſio, ex diuiſione pernicies. ideoque vniuerſa omnia, ſiue naturalia, ſiue quæ arte conſtant, quoad eius efficere poſ-

ſunt,

ſunt, coniungunt ſeſe & adunant, vnionemque ad ſui conſeruationem retinent. Non ſecùs ſalus monaſteriorum à pace mutuâque charitate dependet: quo velut fulcro labante omnia vergunt in interitum, omnia in ruinam eunt. Cùm, inquit ſummus ille Theologorum apex, anima ſubtrahitur corpori, cadauer iacet; cùm autem adeſt corpori, primò condit quodammodò putores. Corruptibilis eſt omnis caro, in putredines diffluit, niſi quodam condimento animæ temperetur. Cùm pax à monaſteriis abit, charitas friget, cœtus omnis languet, vitaque deſtituitur; viget verò floretque cùm adeſt, nec periculum eſt à corruptione peccati. Regnum vitæ in pace & dilectione, regnum mortis in odio & diſcordiâ: *qui* enim *non diligit, manet in morte.* Et quo pacto tum regas, pabulo diuini verbi paſcas, ſalubria conſilia dones, eiſdem legibus ſententiiſque contineas, quas eiſdem ſeptis non potes? Enimuerò id perinde

S. August. Tract. 8. in Ioan.

1. *Ioan.* 3.

ſe habebit, atque ſi mortuis munera mittas, quæ ipſe perdes, illi non recipient. Ariſtoteles, ſiue auctor quiſquis ille aurei libelli de mundo fuit, ſcribit, Phidiam clypeo, quem Mineruę dedicauit, adeò induſtriè effigiem ſuam intexuiſſe opere teſſellato, vt illâ conuulſâ tota colligatio ſolueretur: ſimili modo pax, germana Chriſti imago, eum in omni ſocietate locum tenet, vt, ſi ablata fuerit, partes omnes concidant, atque ſumma turbetur.

Cap. 6.

Maximę igitur Rectori adlaborandum erit, vt omnes inquietudinis & diſcordiæ quaſi malas herbas euellat; quæ verò pacis & charitatis ſunt, omni ſtudio ſerere non ceſſet. Si quid difficultatis inter Præfectam & ſubditas ſuppullulet, actutùm reſcindat; imminentem diſcordiæ materiam euerrat, exortam ſopiat, ſuſpicionum fluctus componat; diffidentias, ſiue ex verâ ſiue falſâ cauſſâ natas, abſtergat (nam hæc omnia prudens Confeſſarius poteſt) animoſque diſſentientes nouo

quo-

quodam beneuolentiæ glutino copulet; conſentientes adamantino amoris nexu confœderet. Id autem nequaquam erit difficile, dummodò aliquis virtuti fuerit locus; ſi orationis mentalis mortificationiſque ſtudia non aſpernentur. Si quis enim ſacrorum cœtuum *deprecationem* dixerit neruos, meâ quidem ſententiâ verum dixerit. Quemadmodum enim corpus neruis cohæret, currit, viuit, ſtat, & compactum eſt; adeò vt ſi neruos incideris, vniuerſam corporis harmoniam diſſolueris: itidem ſanctæ animæ per preces ſibi conſtant, & compinguntur, ac pietatis curſum facilè peragunt. Quoniam, vt Apoſtolus ait, *qui adhæret Domino, vnus ſpiritus eſt cum illo.* cumque omnes in Deo per feruidam illam mentis eleuationem conuenerint, firmâ ſanctâque vnione inuicem innecti neceſſe eſt. Quemadmodum vniuerſæ creaturæ, licet inter ſe genere, ſpecie, numeróve ſint differentes, vnicum tamen habent eſſe in

S. Chryſoſt. lib. de Orand. Deum.

1. Corint. 6.

in Deo, idque præstantius, quàm radij in ipso Sole, riui in fonte, virtutes in sapientiâ: ita licet plurimæ fuerint in monasterio, per orationis efficaciam in Deo, cui omnes inhærent, validè coalescunt: maximè si orationi mortificatio innectitur, & quod pio affectu conceptum est, generosâ manu in opus exeat.

Atque hæc indicasse sufficiat: cautiones auerruncandæ discordiæ sequenti Capite trademus. Sed tamen priùs insignem Origenis locum accipe, quo nostris non absimilia docet. Vide, inquit, si non hoc ipsum ad laudem pertinet iusti, quod dicitur de Elcanâ, *Erat vir vnus*. Nos qui adhuc sumus peccatores, non possumus istum titulum laudis acquirere, quia vnusquisque nostrûm non est vnus, sed multi. Et quomodo plures animi vnus fieri possunt, si sunt varij & multiplices, id est, à verâ pietate remoti, quæ vnica est virtus? Vnde meritò omnes iusti non solùm vnum, sed & vnus

Homil. vnicâ in lib. Reg. ad illa verba, Erat vir vnus.

vnus dicuntur, ſicut Apoſtolus deſignauit dicens: *Omnes quidem currunt; ſed vnus accipit brauium.* Vides apertè quia omnes iuſti, vnus eſt qui accipit palmam. Quamdiu in ſceleribus verſatur vnuſquiſque, per multa diuiditur; quamdiu aliqua ſocietas vitijs abundat, in partes abit, & in diuerſa diſpergitur, quæ virtutum ſtudio ad vnitatem redit. Sunt namque eadem ſtudia, eædemque voluntates in his quæ virtutem ſectantur, atque vnaquæque alterâ atque ſeipſâ delectatur, efficiturque id quod Pythagoras vult in amicitiâ, vt vna fiat ex pluribus.

1. Corint. 9.

Cic. lib. 1. Offic.

CAPVT. X.

§. I. *Remedia excludendæ à monaſteriis Sanctimonialium diſcordiæ.*



RÆSENTISSIMA, & quaſi à Mithridate contra venena diſſenſionum theriaca eſt, commiſſi ſecreti tamquam centum clauibus clauſa cuſtodia, vt

inde

inde nulla vmquam quidquam delibet, nisi quæ deposuerit. Friuola sint licet, & cassâ nuce inaniora, permagno feminæ æstimant, quidquid virili fidei crediderunt, vt summâ discretione & taciturnitate opus sit illi, qui recisas omnes querelarum occasiones velit. Ac proinde prima in eiuscemodi Superiore prudentis imperij sit, nihil vmquam ex auditis vel ioco recensere.
Cap. 22. *Non duplices*, inquit Ecclesiasticus, *sermonem auditus de reuelatione sermonis absconditi, & eris verè sine confusione.* Et meritò experientes Politici negant, res magnas sustineri ab eo posse, cui silere sit graue. Quamobrem nihil vmquam Sorori de Sororibus narrabis, aut in publicum efferes; sed omnium querimonias, conscientiæ scrupulos, si iis laborauerint, ab vtrâque parte multum de se inuicem sermonem, omnem denique verborum supellectilem, apud te veluti quoddam Palladium continebis, adhibitis prudentiâ & taciturnitate veluti custodibus.

bus. Bona fuerint, siue mala; famam exornent, obscuréntve; susque deque mulieres habent, quidquid de se dictum rescierint. Nec vsque adeò facile reperire est, quæ etiam meliora in bonam partem interpretetur. Alto igitur silentio omnia etiam eo indigna sepeli; nisi aliud fortè eiuscemodi se interserat, quod aliis narratum faciat ad amicitiæ redintegrationem vel augmentum. Quâ in re etiam mulier nobis exemplo præluxit. D. Monica inter dissidentes atque discordes quaslibet animas, vbi poterat, tam se præbebat pacificam, vt, cùm ab vtrâque multùm de inuicem audiret amarissima, qualia solet eructare turgens atque indigesta discordia, quando præsenti amicæ de absenti inimicâ per acida colloquia cruditas exhalatur odiorum; nihil tamen alteri de alterâ proderet, nisi quod ad eas reconciliandas valeret: & parum illi erat, inimicitias non augere malè loquendo, nisi eas etiam extinguere benè loquendo studeret.

S. August. lib. Confes. 9. c. 9.

deret.

deret. Si aliud quidpiam dixeris, quantumuis fido promissi silentij cinere videaris occuluisse, breuî incendium flammasque discordiæ daturum est. Nam non est genus hominum quod silentium fidemque magis exigat, minùs præstet. Vix enim vlla est, quæ non aliam habeat, cui tantum credat, quantum ipsi creditum est; & hæc rursus alteri eadem ex stipulatione committit, donec illud tandem quidquid dixeris, ceu pluuia tectis excepta, quæ ex vnâ in aliam tegulam imbricemque dilabitur, atque in publicas vias decidit, toti monasterio innotescat. Atque tum in Rectorem veluti totius turbæ auctorem, & qui nihil apud se repostum retinere possit, malignâ obtrectatione insurgitur; & quamuis ipsæ certatim narrauerint, ab ipso vno omnibus dicta volunt.

Sophocles in Trachin.

Proinde caue vlla suo te subdat femina regno:
Nec quæ corde latent cuiquam face vt omnia credas.

Proui-

Prouidè Antiqui: Nec mulieri, nec gremio credendum; quaſi tam facilè illis audita excidant, quàm illa quæ gremio repoſita ſunt, quorum obliuiſcimur. Vnde M. Tullius ſilentium promittens aiebat: In ſinu eſt, nec diſcingor.

Nec vna, nec ſemel hac in re cuniculos aget, vt ſequeſtrum hunc ſequeſtrorum parietem ſuffodiat. Nam tanti ſe vnaquæque fieri exiſtimat, quantum de alijs narraueris. Tum nulli ferè alteri rei feminæ vacant, quàm vt noui ſemper aliquid vel audiant, vel dicant.

§. II. *Remedium alterum.*

ALtera tuendæ pacis concordiæque ab oraculo D. Hieronymi ſit cautio: Vt omnes puellas & virgines Chriſti aut æqualiter ignores, aut æqualiter diligas. Quæ paulò fuſiùs explicat S. Bonauentura: Licet, inquit, meliores in affectu præferendæ ſint minoribus, & omnes propter ſpem

Lib. 2. Epiſt. 12.

Lib. de Sex alis c. 6.

ſalutis in Chriſto amplectendæ ſint; in actu tamen exhibitionis exterioris taliter Superior ſe gerat ad omnes, vt nulla ſe ab eo contemni propter alias ſuſpicetur: ſed quælibet ab eo ſe diligi præſumat, & fiducialiter ei quaſi ſingulari amico confidat, ne alicui indignatio & inuidia in alias nutriatur: ſicut fratres Ioſeph, qui oderant eum quòd à patre ſingulariùs amaretur. Præclarè Seraphicus Doctor.

Quot rixarum, æmulationum, contentionum, odiorum fomites nati, quòd aliqua à Confeſſario plus ceteris diligi tantùm putaretur? Cuius certiſſimum atque euidens teſtimonium mulieres eſſe volunt longiores confeſsiones, frequentiores affatus: nec aliud requirunt auctoramentum ſenſualitatis. Et quamuis nullam vel ideò plùs diligas: cui tamen id tribuitur, animos plerumque inde ſumit, aliaſque præ ſe non parum deſpicit; aut, quod hîc minimum, inanis gloriæ titillatione afficitur. Aliæ autem concordibus

bus odiis in vnam armantur: Aut, inquiunt, nos omnes malè confessionem instituimus, quibus tam exiguum temporis conceditur nostris enarrandis; aut illi aliquid supra confessionis integritatem indulgetur. Et, An nos reiectamenta, minúsve dignæ quibus Superior non paria præstet? Illi igitur soli viuit, illi soli desudat? Et tum, si nulla occasio calumniandi se obtulerit, inuestigabunt; si verè criminari non potuerint, falsa comminiscentur. Ac proinde,

Suspecta ne sint, longa colloquia amputa. *Sen. Medeâ.*

Nimij doloris, prauique zeli exemplum habemus in Sarâ, sanctâ alioquin feminâ, superbiæ in Agar. De quibus ita D. Ambrosius: Quòd si, inquit, Sara moderationem non tenuit, quæ tenebit? Ideoque scriptum est: *Et afflixit eam Sara, & fugit à facie eius.* Duo sunt quæ comprehendit Scriptura, vt & dominæ grauem indignationem exprimeret, & ancillæ tumorem *Lib. 1. de Abrah. c. 4.* *Genes. 16.*

& superbiam. Quòd afflixit eam Sara, ad iracundiam affligentis refertur. quòd Agar fugit, contumeliam seruili patientiâ non ferebat, quæ sibi herilis contubernij vindicabat fastigium: indignata est iniuriam, quæ induerat insolentiam. Et vt illa, cui plus ceteris deferre videris amicitiæ, apud Superiorem sibi non vindicet fastigium; aliæ Saræ iracundiam imitabuntur. Quamuis autem tibi etiam fortè facti tui constent rationes; illis non approbabis, quæ tantum se deprimi existimant, quantum alteri detuleris; nec officij necessitatem, sed immoderantiam affectus interpretabuntur. Quamquam non ita semper maledicarum seruiendum est linguis, vt officium intermittas; non modica tamen cautio adhibenda, vt veluti Sol in omnes æqualiter lumen doctrinæ spiritualis diffundas. Quod enim Cicero vniuersim de Republicâ statuit, etiam in hoc paruo regimine locum obtinet: Omnino, inquit, qui Reipublicæ

Lib. 1. de Offic.

blicæ præfuturi ſunt, duo Platonis præcepta teneant: vnum, vt vtilitatem ciuium ſic tueantur, vt quidquid agunt, ad eam referant, obliti commodorum ſuorum: alterum, vt totum corpus Reipublicæ curent; ne, dum partem aliquam tuentur, reliquas deſerant. Vt enim tutela, ſic procuratio Reip. ad vtilitatem eorum qui commiſſi, non ad eorum quibus commiſſa eſt, gerenda eſt. Qui autem parti ciuium conſulunt, partem negligunt, rem perniciosiſſimam in ciuitatem inducunt, ſeditionem atque diſcordiam. Ex quo euenit, vt alij populares, alij ſtudioſi optimi cuiuſque videantur, pauci vniuerſorum. Hinc apud Athenienſes magnæ diſcordiæ ortæ; in noſtrâ Repub. non ſolùm ſeditiones, ſed peſtifera etiam bella ciuilia. Quæ grauis & fortis ciuis in Republicâ dignus Principatu, fugiet atque oderit, tradetque ſe totum Reip. Neque opes aut potentiam conſectabitur, totamque eam ſic tuebitur, vt
 omni-

omnibus consulat. Monita, quæ nisi Platonis forent, diceres esse è tripode.

§. III. *Tertium Remedium.*

DEinde, ne quid facilè, ne quid subitò, in iis quæ Monasterio longâ consuetudine propria effecta sunt, immutes, aut nouas ordinationes introductas velis. Quid aquâ leuius tractabiliusque, si labi eam consueto alueo sinas? Quid verò grauius magisque impetuosum, si obstruas & aliorsum fluere velis? cum murmure & indignatione stagnat, & quà datur perrumpit. Non secùs feminæ, leues aliàs & placidæ, si illarum voluntati obluctéris, graues exurgent in iras, & integros indignationis fluctus voluent. Si autem necessitudine quasi adactus, quæ vis paullatim instillaueris, non simul infuderis; assuescent patientiæ, ferendoque paullatim ipsis fiet leuius, si non statim summa exigantur. Prudentissimè à paruis initiis per

per mediocria ad magna peruenitur. Quod qui hactenus neglexerunt, etiamsi zelus eorum non omnino improbandus sit, experti testari possunt, quot qualesque hæc res turbas dederit, sit datura; non opportuno tempore, non eo quo debuerunt modo quædam à Sororibus fuisse exacta. Quapropter, vti sæpiùs audiui monentem insignem quemdam Confessarium ex Ordine Cisterciensi, numquam prudens Rector aliquid mutabit, vel de nouo statuet citra consilium & voluntatem Prælatæ, & melioris partis Monasterij: sed seniorum prudentiorumque sententiam, non quasi consilij illarum indigus, exquiret; sed quia necesse est vt approbatrices illius quod ordinatum voluerit habeat, quò earum auctoritate, veluti filum acu, introducatur; ceteræque iam factum potiùs sciant, quàm faciendum metuant. Non enim plerumque feminæ decreta, quòd bona sint, laudant; aut, quòd mala, vituperant: sed quia illa

ipsæ vel approbent, vel respuant. Imò instar vlcerum attingi ne medicâ quidem manu possunt, sine magno doloris sensu & eiulatione: nec id pensi habent, vtrùm sanare eas velis; sed hoc tantùm querulantur, se ferendo quæ imposueris non esse. Nec enim ratione quasi certo duce vtuntur, sed eo quò affectus inclinat: & quamuis exagitatos animorum motus auctoritate vel metu aliquamdiu reprimere possis; at non excides. Quæ igitur essentialibus, vt vocant, votorum, aut Regulæ non aduersantur, ipsarum potiùs electioni & voluntati relinques, quàm iudicij arbitriique tui, licet sanioris, facies. Neque enim, vt Cicero ait, attinet naturæ repugnare, nec quidquam sequi, quod assequi nequeas: præstatque vt ferendo, atque aliquid de iure tuo remittendo, te meliorem facias, quàm plures frustrà fatiges, quæ affectibus suis imperitare non possunt. S. Loyola monebat, omnem contentionem cauendam esse;

Lib. 1. de Offic.

ac

ac profitebatur, vnúm gradum profeɛ̃tus ſe malle ſine eâ, quàm cum eâ plurimos.

CAPVT XI.

De libertate confitendi.

NON incongruè difficultas iſthæc huc reuocari poſſe videtur: Vtrumnam illa Sanɛ̃timonialibus, quod quidam valdè volunt, promiſcuè ſit concedenda; an in arɛ̃tum nimis, vt alij ſentiunt, reſtringenda. Qui dum extrema ſeɛ̃tantur, à caſu potiùs, & bonâ forte eſt, quàm illorum iudicio, ſi proſperè tranquilleque omnia ſuccedant. Et quamuis difficile ſit aliquid certi hac in re ſtatuere; attamen, omnibus maturè perpenſis, aliquantum magis ad illos inclinor, qui confitentium imbecillitati & verecundiæ fauent. Quodque D. Hieronymus quoad ornatum corporis feminis indulget, id in negotio Confeſſionis ſta-

Epist. de Educat. Pacatulæ.

tuendum censeo. Philocosinon, inquit præclarissimus Doctor, genus femineum est: multasque etiam insignis pudicitiæ, quamuis nulli virorum, tamen sibi scimus libenter ornari: quin potiùs habendo satietur Pacatula, & cernat laudari alias quæ ista non habeant: meliusque est, vt satiata contemnat, quàm non habendo habere desideret. Tale verò quid & Israelitico fecisse vides populo Dominum, vt cupientibus Ægyptias carnes, vsque ad nauseam præberet examina coturnicum. Multosque sæculi reperies homines faciliùs carere expertâ corporis voluptate, quàm eos qui à pueritiâ libidinem nesciant. Quod nisi S. Hieronymus diceret, non assentirer: manifestum siquidem est, plus molestiæ, periculi & tentationum esse ab vnâ voluptatis experientiâ, quàm à fame illâ quam virginitas patitur, à falsâ maioris delectationis apprehensione, à defectu considerationis dolorum & ærumnarum, quæ

quæ nuptias excipiunt. Sed, his omiſſis, quod inſtat proſequamur. Ecqua aptior collatio dari queat, quàm Sanctimonialium cum electo illo & deliciis cæleſtibus abundante populo? Paſcebatur is pane cælitus emiſſo, cui omne ſuauitatis delectamentum inerat; & tamen poſt aliquantum temporis ad illum nauſeabat, vocabatque per contemptum panem leuiſſimum. Quâ ita exprobrantis inuerecundâ populi laſciuiâ Deus grauiter offenſus, tantam illis copiam volucrum pluit de cælo, vt illas etiam præ ſaturitate aſpernarentur. Pari modo nonnumquam ſacræ illæ virgines, quamuis benè & abundanter habeantur quoad negotium Confeſſionis, veluti deliciarum ſaturæ, alios atque alios conſcientiæ non tam cognitores vel arbitros, quàm aſſenſores & pedaneos quærunt: donec ſterilibus & exſuccis coturnicum carnibus aliquamdiu paſtæ, non panis quotidiani, ſed ſtomachi vitium deprehenderint. Adeoque,

que, vti ex S. Hieronymo dicere inceperam, querulis iſtis & inquietis tot tantique concedendi ſunt, vt habendo ſatientur, & cernant laudari alias, maioreſque in virtute progreſſus facere, quæ iſta non requirunt; meliuſque eſt, vt ſatiatæ mutationibus contemnant, quàm non habendo habere ſemper deſiderent. Et quidem hoc eò vſque, vt vel pudefactæ culpam emendent, vel mutationibus numquam ſaturandæ ceteris ludibrium debeant. Sed hac cautione id conceſſero, vt ne Abſalomo, diſſenſionum & rebellionis aduerſus optimum patrem auctori, ſimiles ſe inſinuent, qui oleum igni affundant, tententque & venentur obſequijs, vt ille, corda filiarum Sion. Iſtud periculum ſi abfuerit, multò minora, multoque pauciora mala, ab aliquali conniuentiâ, quàm à rigore illo pluſquam Rhadamantheo exiſtere arbitror. Non enim libertatis huius ianua ita occludenda, vt eam benignitas Superioris, Sororum-

rumque neceſſitates aperire non poſſint: nec ita reſeranda, vt illâ abutentibus ad ſuum ipſarum damnum promiſcuè pateat. Quæ tamen omnia ad calculos iudicij & prudentiorum limam lubens volenſque remitto. Sed prô! quàm non modicè dolendum eſt, quoſdam non hoc agere vt ſubditis conſulant, ſed ignauiam ſuam vitiaque abſcondant! qui vel ideò neminem vmquam ad Sororum Confeſſiones audiendas admittunt, quò aliorum comparatione quàm parum ſincerè prudenterque hoc munus adminiſtrent, numquam paleſcat in vulgus. Sunt enim, illorum culpâ, quæ non vnâ quaſi Ixionis rotâ excarnificantur, & continuis mœroribus emoriuntur. Sunt quibus hæc Superiorum inclementia longam tabem, nullâ ope Apollineâ medicabilem, accerſat. Vt nihil de iis dicam, quæ verecundiâ prohibitæ, aliquod in Confeſſione crimen ſubticent; & ne deprehendantur, cum reatu peccati mor-

mortalis ad sacras epulas se ingerere non verentur. Quantumcumque enim benè munus tuum administres, si mulieres nimis seuerum, nimis suspercillosum conceperint, aut quacumque ex caussâ diffidant, frustrà erunt cetera omnia: adeò vt nisi externum Confessarium concesseris, qui in deteriora semper prolapsuras sistat, grande perpetuæ damnationis subfuturum sit periculum. Quoque magis vel vnius infirmitati subueniatur, etiam omnes ad confitendum externo adhortandæ sunt, vt securiùs lateat.

CAPVT XII.

Varietas linguarum excludenda.



CETERVM optandum omnino foret, quidquid exteri reclament, omnia monasteria mulierculárum esse *labij vnius, & sermonum eorumdem.* Ex hac siquidem diuersitate primam generis humani dissensionem ortam quis igno-

Genes. 11.

ignorat? & quamuis ſub eodem climate nati, non modò eâdem terrâ ſed ceſpite viuamus; ſi tamen linguæ varient, etiam mores viuendique rationem aliorſum abire? vſque adeò, vt non tantùm inter priuatos homines, ſed integras regiones, contentiones diſſidiaque pariant diuerſa linguarum ſymbola. E contrario, vnitas linguæ, pacis & concordiæ baſis quædam eſt ſeu fundamentum, quæ homines conciliat inter ſe, coniungitque naturali quadam ſocietate. Si namque, vt diuinus Plato ſcribit, duo fiant ſibi mutuò obuiàm, neque præterire, ſed ſimul eſſe aliquâ neceſſitudine cogantur, quorum neuter norit linguam alterius; faciliùs ſibi animalia bruta, etiam diuerſi generis, quàm illi, cùm ſint homines ambo, ſocientur. Quando enim quæ ſentiunt, viciſſim communicare non poſſunt; nihil prodeſt ad ſociandos homines tanta naturæ ſimilitudo: ita vt libentiùs homo ſit cum cane ſuo, quàm cum homine alieno.

alieno. Similiter in legitimo iuſtoque imperio, quod à propoſito noſtro non longè abit, minùs dicto audientes erunt ſubditi, ſi Princeps, qui in plurimas dominatur gentes, non etiam omnium gentium quas ſuo complectitur imperio, linguâ loquatur. orationeque Principis, quæ plurimùm valet ad conciliandos ſubditorum animos, ſi non intelligatur, omnes ab eo auertit & alienat. Vnde Mithridates, ille clariſſimus Ponti Rex, tribus maximis bellis à Romanis victus & fractus, tamen amicos ſuorum animos, & ad parendum paratos, ſemper habuit, quòd vnicuique genti ſuâ vernaculâ loqueretur. Ferunt enim, hunc Regem viginti & duarum gentium, quas ſub ditione habuit, linguas percalluiſſe, cumque earum omnium gentium viris non vmquam per interpretem egiſſe; ſed vt quiſque ab eo appellatus fuit, ita etiam linguâ eius, tamquam gentilis ei fuiſſet, locutum eſſe. Quantum autem linguæ ſimilitudo habeat

Val. Max. lib. 8. c. 7.

habeat momenti ad pacem retinendam ſtabiliendamque etiam inter paucos, ex D. Cypriano audiamus: Poſt Chriſti, inquit, aſcenſionem in cælos Spiritus ſanctus viſibiliter ſuper Apoſtolos in linguis igneis apparuit, & inſtar prioris ſæculi vniuerſitatem fidelium vnius labij eſſe voluit; vt quorum erat *cor vnum, & anima vna,* vna eſſet & lingua: nec poſſet impedire intellectum credentium aliqua diuerſitas verborum, ſed Euangelica doctrina propriâ linguâ prolata ad omnium auditum eamdem efficaciam obtineret, vt Græcis & Barbaris, omnibuſque gentibus verbum Euangelij ſic eſſet intelligibile, ac ſi eorum auribus linguæ, in quâ nati erant, idiomata reſonarent. Aderant Medi & Ælamitæ, Meſopotamiam incolentes, Arabes, & alij. his omnibus dum Hebræâ linguâ Apoſtoli prædicarent, locutio Iudaica enuntiationis ſuæ articulos curſu conſueto euoluens nullo exponebatur interprete: ſed verbo

Lib. de Spiritu ſancto.

Act. 4.

 eorum

eorum per Spiritum sanctum inerat virtus & gratia, vt habitantes Pontum, & Asiam, suam esse dicerent linguam, quam audiebant, quasi primitiuæ linguæ integritas ad suam reuersa originem, confusionis contumeliam euasisset. Atque hæc hactenus ex mente S. Cypriani, cui lubens subscribo; & quæ huius restant, aliis expendenda relinquo. Et vt multæ virgines externa idiomata addiscant, sed exterorum mores sententiasque non induunt: nec affectus, sed loca mutare possunt: linguam faciliùs corrigunt quàm mentem. Dumque vnaquæque lubentiùs cum conterraneâ, & quam linguæ similitudo commendat, congreditur, consiliaque fidentiùs miscet, ab aliis auersiorem fieri necesse est; & hinc secessiones litesque in monasteriis. Atque vtinam non plura huius rei, eaque funesta, vidissemus in Belgio nostro exempla! Sed, vt dixi, hæc altiùs expendenda aliis dimitto, atque in tempore manum tollo de tabulâ.

CAPVT

CAPVT XIII.

Qualiter in audiendis accuſationibus & correctionibus Sororum procedendum ſit.



ID quod non Hebræorum modò, ſed & omnium,

Quot ſunt, quotq; fuerunt,
poſthac quotq; futuri,

ſapientiſſimus diuinam Maieſtatem deprecaturis denuntiat, alludens ad factum Moyſi: *Cuſtodi pedem tuum ingrediens domum Dei:* id eſt, Vide vt tam compoſitus præmeditatuſque ſit ingreſſus tuus, cùm templum oraturus intras, atque ſi nudis pedibus cum Moyſe, dum ex rubo ad videndam grandem illam viſionem vocaretur ab Angelo, terram ſpinis & tribulis obſitam eſſes calcaturus: adeò non decet vt fracto diſſolutoque gradu, quaſi in theatrum aut ad proſedas, ita templum Dei ingrediaris. Idem vt facias, Eccle. 4. Exod. 3.

per analogiam quamdam te hortor atque moneo, vt cogniturus Sororum caussas, cum curâ & anxietate pro tribunali sedeas, teque versari inter linguarum aculeos, vepresque morsicationum, seriò tibi persuadeas; ideoque iudicij tui sententiam diutiùs libres, ne impingas. Ne, inquam, technæ accusantium feminarum, quæ præsentiùs quàm spinæ pungunt lacerantque, te eò abducant præproperâ persuasione, vnde posteà non nisi cum dolore & serâ pœnitentiâ sit regressus. Etiam in paruo hoc, vt ita dicam, regno suus veteri isti dicto locus est: Neruus & artus imperij sunt, non temerè credere. Et, vt P. Syrus ait,

Ad pœnitendum properat, citò qui iudicat.

Quantam Constantinus, alioquin per omnia Magnus, maculam intulit gloriæ suæ, quantum Imperio damnum, sibi luctum accersiuit, dum feminæ nimis credulus citiùs quàm oportuit fidem præbet, & Crispum filium,

filium, florem iuuentutis Romanæ, delicias orbis, laureâ triumphali adhuc virentem, à nouercâ stupri insimulatum, præcipiti iudicio tolli iubet? Quàm æquo iure Putiphar Ægyptius nimiæ credulitatis arguitur, qui ad vnicam feminæ delationem, innocentissimum iuuenem tam tetro diuturnoque carceri mancipauit, ferro inclusit? Alios omitto innumeros.

Atque vt certiùs euidentiusque intelligas, te inter spinarum, id est linguarum, aculeos versari, teque hîc incedere

—— per ignes Horat. 2. Carm.
Suppositos cineri doloso;

firmiter tecum statue, nullam etiam piam, & modestam, & prudentem feminam immunem esse à passionibus, magisque ab his omnes impelli, quàm à ratione; & quæ hanc sequantur, affectus etiam suos interserere. Plurimæ aliarum vitia proferunt, non quò emendent, aut alienæ saluti consulant; sed naturæ, quæ loquax &

maledica eſt, obſequantur. Vt galli gallinacei naturâ ſuâ pugnaces cum quouis alio inimicantur: ita iſtis voluptatum quoddam genus eſt ſcire quod aliis impingant; atque inter ingenij felicitates numerant, ſi inuenire poſſint quæ conuellant. Aliæ his peiores, inuidiâ liuidæ, alienam felicitatem ferre non poſſunt; dumque deſperant ſe eò famæ vel dignitatis poſſe conſcendere, quò ſociæ peruenerunt, occultis machinationibus falſiſque criminationibus illas eunt detractum, vt in ordinem ſuum redigant. Quod vilium admodum hominum eſt, & laudem ſuam quærentium, alias viles faciunt, quia alterius vituperatione ſe laudari putant; quæque ſuis meritis eminere nequeunt, eminere volunt in comparatione peiorum. Et quò facilius certiuſque id obtineant, primùm ſeniorum quarumdam & auctoritate pollentium animos falſâ perſuaſione imbuunt: quæ huius peruerſitatis ignaræ, & zelo honoris monaſterij

nasterij flagrantes, contra innocentem ex charitate agunt, nesciæque alieno odio famulantur. Tum inter eas animo tam amaro & exulcerato aliquas reperire est, vt etiam falsa de se crimina, atque cum iis, quas euersas dignitate volunt, commissa confingant propalentque: & quia ipsum rationis lumen vindictæ cupiditate ceu nebulâ quadam obducitur, nec tanti proprij honoris iacturam æstimant, quanti integritatem contaminasse aliarum. Prudenter & apposité ad dicta Augustum Mæcenas olim monuit: Permulti vel odio aliorum, vtpote bona eorum affectantes, vel in gratiam quorumdam (quod velim notes) vel irati ob postulatam & non acceptam pecuniam, falso crimine seditionis tentatæ, aut contra Imperatorem alicuius facti vel dicti improbi, eos onerant. Ideoque non temerè fides eis est adhibenda; sed, omnia, etiamsi crimen quasi notorium illorum delatione fuerit, accuratè exa-

minanda. Quòd si tardiùs fidem adhibueris, nullo tuo magno fiet damno; festinando autem fieri potest, vt peccatum aliquod irreparabile admittas. Quid potuit ab Ethnico homine meliùs proponi in exemplum?

Sunt etiam quæ, vt scarabæi excrementis & stercore pascuntur equino, ita ex aliarum afflictatione & pœnis voluptatem hauriunt. Namque, vt Ouidius ait,

Lib. 1. de Arte.

—— curæ est sua cuique voluptas,
Hæc quoque ab alterius grata dolore venit.

Spiegelius in Lexico Iuris, verbo Accuso.

Ideoque planè videas, vt quidam Iurisperiti accusationem definiunt, consodales suas accusare velle, id est apud iudicem percutere, & quasi malleo ad incudem pertundere, vt in quam velit illa quæ accusat, formam rea redigatur. Hinc quidquid illis animus atro tristique humore oppressus dictauerit ex quacumque suspicione, pro indubitatis haberi volunt; & nisi quasi præiudicio quas improbant damnaueris, iusti-

iustitiæ præuaricatorem liberiusculè proclamabunt; tantoque acerbiùs, quantò illa in quacumque societate magis necessaria est virtus. *Res mulierum*, inquit Euripides, *vituperandi cupida est naturâ*. Res mulierum Græcâ phrasi, quasi Latinè diceremus, Mulieres naturâ procliues sunt ad vituperandum. *In Phœniss.*

Nec multum etiam ad pondus accusationis addet, quòd plures vnam aliquam impugnent. Vix enim in monasteriis reperies, quæ non aliquas sibi addictas, & ceteris familiariores habeat. quas omnes idem sentire, idem velle, nolle, idem loqui, lex societatis est; quam etiam in iis, de quibus prudenter dubitaueris, transgredi non liceat, nisi breuem familiaritatem in odium sempiternum commutari velis. Adeò tyrannica res priuata societas. Hinc tam suspectos habebis magnos illos accusandi apparatus, vimque leoninam, quàm à blanditiis & fraude vulpinâ tibi in tempore ca-

uendum eſt. Sunt enim quæ plurima in ijs laudent, quas maximè vituperatas cupiunt; roſam oſtentant, ſpinam occulunt: & vbi multa præclara blandiendo dixerint, caudâ narrationis inſtar ſcorpionum feriunt, viruſque letale iaculantur, eò nocentius, quia & illud falſâ alieni lapſus commiſeratione obnubunt. Quarum iniquitas maxima, quia tum cùm maximè fallunt, id tamen agunt, vt bonæ appareant. Et te verſari inter ſentes & ſpinas adhuc negabis?

At non ſic omnes feminæ ſunt, inquies. Fateor: & prô dolor! ſi omnes eiuſcemodi eſſent. Sunt multæ prudentes, piæ, timoratæ, quæ veluti aſtra quædam etiam ſexui noſtro prælucent. Sed tamen quàm non vni, ſi de accuſando agitur, immoderatior zelus ſalutis proximi, amorque nimius erga Religionem ſuam imponit? Dum enim valde illius damna metuunt, impendere credunt; eoque ferè narratis tantùm, & variis coniecturis elicitis adhæ-

reſcunt:

rescunt: quoque maiore affectu in alienam salutem feruntur, tantò periculi metu faciliùs metuenda credunt. Et quæ denique mulierum non pronum, non secundum ad suspiciones pectus gerit? Quibus vt plurimùm si tantùm nititur accusatio, quàm lento pede ad ferendum iudicium procedendum erit? Quapropter etiam verum erga Ordinem proximique salutem zelum non tam ardore quodam amoris, quàm stabilitate & constantiâ iudicabis.

Nec id accusationem multò faciet probabiliorem, etiamsi millies sanctè testetur, id se ex nullâ animi perturbatione, nullâ consodalis auersione dicere, sed bono illius totiusque monasterij compendio. Verba sunt in ore nata; corde sæpè sæpiùs aliud repostum gerunt. Quod tum elucebit, si iudicium tuum suspenderis, si non omnibus, quasi de delatricis fide dubitans, illicò assentiaris; quia, vt prudenter P. Syrus,

Diffi-

Difficilem oportet aurem habere ad crimina.

Tum verò atræ bilis balneo innatare, tum magnos iræ & indignationis fluctus voluere videbis; quod à liquidâ animi tempestate, à Christianâ charitate quàm longissimè remotum esse debet. Etenim qui studet humanæ infirmitatis emendare vitia, ipsam infirmitatem suis humeris sustinet; & quodammodò ponderat secum, non quasi indignans abiicit. Adeò vndicumque spinarum aculei imminent, vt nec ipse ericius tot habeat, quot lingua feminea.

CAPVT XIV.

Calumnia eliminanda.



INORIS ceteris æstimabis, nedum fidem his adhibebis vmquam, quæ plaustra narrationum de consodalibus, de rebus monasterij aduehunt, nec à se quidpiam reprehendi velle asserunt, cùm

cùm omnia vel maximè reprehendant & calumnientur. Consiliariæ cuiusdam speciem, siue Consulis præ se ferunt, quæ Reipublicæ curam habeant, congruâque instructione ipsum Rectorem firmare velint: interim rem suam agunt, alienam dubiis criminationibus euertunt. Si è Republicâ, magis è monasteriis proscribenda calumnia: quæ si toleretur, monasteria esse desinent, fientque potiùs diffidentiæ palæstra, odiorum seminarium, acerbitatis & amarulentiæ hypotheca. Accusare quidem liberum sit; sed calumniæ præcidantur.

Differunt autem accusationes à calumniis; quòd calumniari vnusquisque quemcumque, & vbicumque possit: neque ad id probandum quod impingit aduersario, probatione vllâ aut testibus vtitur. Legitima accusatio partes habet, pleneque exhibet probationes & testes; nec potest institui nisi coram Superioribus iurisdictionem habentibus. Quod aliquanto quàm calu-

calumniari difficilius. Quare eiuscemodi narratrices, quæ à calumniandi licentiâ non multùm absunt; non audies nisi vt istud eas malè agere admoneas. Alioquin magna hæc facilitas turbas excitabit: & illa quæ ita delata fuerit, in auctorem inquiret; si certò deprehendere nequiuerit, plures iniquæ delationis insimulabit, omnes auersabitur, odio vnius, à quâ structa calumnia.
Eccli. 17. *Mandauit*, fateor, *Deus vnicuique de proximo suo.* sed ita, vt post priuatam alteram correptionem, ad Ecclesiam, id est Superiores, Sorores deferantur: quæ etiamsi peccauerint, Sorores esse non desinunt, vt magnam ei quæ accusat impositam esse necessitatem dilectionis intelligas. Atque hinc manifestum euadit, ecquæ Christiano, id est sororio & benigno, in ream sit animo; si nimirum cum animi moderatione, cum extenuatione culpæ potiùs quàm morosâ exaggeratione circumstantiarum, simplici oratione explicet, quod celari non debet,

bet, quod dicere ratio charitaſque poſtulant: ſi facili beneuoloque auditu mitiorem facti interpretationem admittat, ſi pœnam citò non depoſcat. Alioquin, vti dictum eſt, hæc calumniandi licentia non modò monaſteria, ſed integras Reſpub. funditus euertet. quemadmodum nonnulli domeſtici teſtes ſcribunt, florentiſſimam Rempubl. Florentinorum non aliâ de cauſsâ emarcuiſſe, quàm quia neglecta iuſta accuſatio, tolerata calumnia.

Quò verò contra hos linguarum aculeos tutior ſis, in omni accuſatione primùm inquires in auctorem, qualis illa ſit, quo animo, quo fine, quibus indiciis accuſet. Vtrùm talis aliqua, quales ſuprà deſcripſimus: an ex perturbatione animi, an conſultò id faciat: finis accuſationis an à regulâ veræ dilectionis non recedat: vtrùm ipſa viderit, audierit, an tantùm ab aliis viſa, audita, narret. Si ab alijs, illæ rurſus idem interrogandæ erunt, donec

nec ad primam perueniatur. At si qua affirmet se quidem ab aliis audiuisse, sed auctorem prodi nolle; meritò leuitatis & mendacij suspectum habebis negotium. Cùm enim nonnullæ pessima de consodalibus dici optent, nec fingere audeant pœnarum metu, ab aliis quasi diuulgant, quà impunè liceat esse improbis.

CAPVT XV.

In dubio qualiter agendum.



I quidpiam eiuscemodi occurrat, quod partibus vtrimque non perfunctoriè auditis dubium remaneat, neque quidpiam certi in alterutram partem statui possit; ideoque Sorores in partes eant, valideque velint sibi vtrimque administrari iustitiam; tunc vel maximè suspendendum erit iudicium. Atque ex consilio meo imitaberis Dolabellam Romanum, Atheniensesque Areopagitas; quantæ prudentiæ,

dentiæ, quàm felicis regiminis viros! De illis ſiquidem ſcribit Valerius Maximus: Cùm materfamilias Smyrnæa virum & filium interemiſſet, eò quòd ab his optimæ indolis iuuenem, quem ex priore viro enixa fuerat, occiſum comperiſſet; hanc rem ad Dolabellam delatam, eamdemque ab eo Athenas ad Areopagi cognitionem relegatam: quia ipſe neque liberare cædibus duabus contaminatam, neque punire eam iuſto dolore impulſam, ſuſtinebat: Areopagitas quoque, inſpectâ cauſſâ, & accuſatorem & ream poſt centum annos ad ſe reuerti iuſſiſſe, eodem quo Dolabellam affectu motos. Sed ille transferendo quæſtionem, hi differendo, damnandi atque abſoluendi inexplicabilem cunctationem inuitabant. Alterutrum huius facti imitare, vt tempus fluat, atque longiori morâ inæſtuans mulierum animus, ad temperiem quamdam deducatur. Neque tum erit difficile exacerbatorum animorum mo- Lib. 8. c. 1.

tus componere, quasi re Lethæis aquis submersâ: ipsæque partes difficultatum pertæsæ, tacitè iustitium approbabunt. Quæ si implacabiles omnino erunt, atque vtrimque pro administrandâ sibi iustitiâ instent; plures à probitate & prudentiâ notos in consilium adhibe, precibusque & tuis & aliorum felicem rei exitum à Deo sollicita. Et quamuis tum secùs alea cadat, nihil tibi imputari potest; fecisti quod debuisti, quod potuisti: etiam te sapientiores in similibus lapsi sunt.

Vbi verò tam liquidis testimoniis, indubitatis loci, temporis, facti circumstantiis eò accusatio perducta est, vt rea tergiuersari nec possit nec velit; ante omnia consulendum est honori verecundiæque muliebri, ne nimiâ pudoris purpurâ perfusa illius loco mox impudentiam induat, ingenuusque color abeat in furorem. Sæpè enim, vt Agrippa olim monebat, quæ verecundius deliquerunt, accusatæ insolentiores fiunt. Propensior igitur beni-

Apud Hegesippum lib. 2. c. 9.

benignitas erga calamitoſas induenda, extenuandumque delictum coram aliis; humanæ imbecillitati, non malitiæ, adſcribendum: quoque ceteræ huic faciliùs dent veniam, clariùs oſtendendum eſt, ipſis quoque aliquando veniâ opus eſſe; his quandoque non abſimilia etiam aliis accidere; nec fortitudinis eſſe propriæ ſi ſubſiſtant, ſed prouidentiæ & gratiæ diuinæ; nullam aliam tam graues tamque diuturnas vmquam perpeſſam tribulationes, quibus mirum ſit ſi etiam fortiſſimi doctiſſimique viri non ſuccumbant.

Deinde ſi verbis caſtiganda eſt, id ſedato animo breuique ac ſuaui orationis decurſu fiat; quo planè intelligat, non ex reprehendendi deſiderio, ſed iniuncti amoris neceſſitate fieri. Et quamuis ſeueritas viro digna induenda ſit; ab omni tamen grauiori motu prorſus abſtinendum eſt, vt neque aſperitate exulcerentur ſubditæ, neque nimiâ benignitate ſoluantur. *D. Greg.*

ſit amor, ſed non emolliens; ſit rigor, ſed non exaſperans; ſit zelus, ſed non immoderatè ſeuerus; ſit pietas, ſed non pluſquam expediat parcens. Deinde felicitatis cuiuſdam, nec prudentiæ vulgaris eſt, potiùs maleficia prohibere, quàm patrata punire. Huc non incongruè reuoces illud Ciceronis: Obiurgationes, inquit, etiam nonnumquam incidunt neceſſariæ, in quibus vtendum eſt fortaſſe & vocis contentione maiore, & verborum grauitate acriore. Id agendum etiam eſt, vt ne ea facere videamur irati: ſed, vt ad vrendum & ſecandum medici veniunt, ſic ad hoc genus caſtigandi rarò inuitique veniamus; nec vmquam niſi neceſſariò, ſi nulla reperietur alia medicina. Sed tamen ira procul abſit, cum quâ nihil rectè fieri, nihil conſideratè poteſt. Magnâ autem ex parte clementi caſtigatione vti licet; grauitate tamen adiunctâ, vt ſeueritas adhibeatur, & contumelia repellatur. Atque etiam illud ipſum

Lib. 1. de Offic.

quod

quod acerbitatis habet obiurgatio, significandum est, ipsius id caussâ qui obiurgetur, esse susceptum. Præclarissimè hæc, vt cetera, disertissimus Romanorum.

Nullam vmquam patiêris admonitioni tuæ interloqui; vt quæ iam antè omnia dixerit, quæ vel in sui purgationem, vel extenuationem culpæ, adferri poterant. Id si tolerauerîs, timendum est, ne citò vel illa vel tu modum excedatis, fiatque ex correptione contentio, quâ mulieribus animus accedit, viris multum de auctoritate decedit. Loquendi igitur vices non assumes, nisi vt corripienda nullas habeat: ideoque patientiam illius nec longiori nec mordicante sermone fatigabis. Neque enim malè dixit quispiam, Mulierem officium suum facere, quæ viro verbis nolit concedere, si vsque ad contentionem peruentum est.

Si pœna denuntianda sit, nullam vel leuissimam vmquam infliges, quin

rogata sit rea, vt eam amore Christi ferat æquanimiter; non odio haberi ipsam, sed curæ Superioribus esse ipsius salutem: nihil, si verè pœniteat, hac pœnâ depristino honore vel existimatione detractum iri; quin ex nunc pristinum beneuolentiæ affectum, omniaque mutuæ charitatis indicia recuperasse, dummodò emendatione morum resarciat quod peccatum est.

EPILOGVS.

POrrò habes à nobis, optime Lector, Opusculum fortassis tibi nec inutile nec iniucundum: scripsimus enim ea quæ non fingi vel optari tantùm possunt, sed quæ sunt in vsu vitâque communi, quæque primâ facie apud alios sese vltrò non offerunt. Atque speramus nihil ferè omissum, quod propriè eam ad rem faciat, etiamsi plenâ manu, vt dicitur, propositum necdum assecuti simus. Neque ignoratio hæc nos subit aut blanditur,

tur, quin plura potioraque à politioribus calamis & maioris experientiæ viris, tamquam ex vberiori Amaltheæ cornu, effundi poſſint. Sed perinde quod dedimus erit omne, vt acceperis. Vtile vſus faciet, iucundum animus non nimiùm ſeuerus. Ceterùm breuitas quædam cum perſpicuitate nobis placuit; &, quantum tenuitas noſtra fert, in re etiam benè longâ ſymbolum dedimus. Poſtremò, Deum Opt. Max. deprecor & obteſtor, vnicum illum verumque animarum Paſtorem, vt quàm plurimis hæc qualiaqualia noſtra proſint, ſi videbitur; ſin minùs, paucis; ſin minùs, vel vni.

FINIS.

INDEX CAPITVM HVIVS DIATRIBES.

CAPVT PRIMVM.

CAPVT II.

CAPVT III.

CAPVT IV.

Artium principia solent ferè esse tetrica; sed Reuer. admodum P. Ioannes Mantelius, S. T. Licent. & Conuentus PP. Augustinianorum apud Iprenses Prior, in hac Arte artium tradendâ tam aptè miscuit vtile dulci, vt vnà cum optimis praeceptis etiam iucunditatem legentibus adferat, nemini offensam: idcircò publicâ illam luce donandam censeo. Ipris XXV. *Febr*, M. DC. XXXIX.

G. vander Sterre Archid. Iprensis.

SVM-

SVMMA PRIVILEGII.

PHILIPPVS IV. Hiſpaniarum & Indiarum Rex Catholicus, ac Potentiſſimus Belgarum & Burgundionum Princeps Diplomate ſuo ſanxit, nequis F. Ioannis MantelI, S.T.L. Ordinis Eremit. S. Auguſtini, Artem artium, ſiue de Regimine Sanctimonialium Diatriben, præter Balthaſaris Moreti voluntatem vllo modo intra nouennium imprimat, aut alibi terrarum impreſſam in Inferioris Germaniæ ditiones importet venalémve habeat. Qui ſecùs faxit, confiſcatione Librorum, & aliâ graui pœnâ mulctabitur; vti latiùs patet in litteris datis Bruxellæ xv. Decembris, M.DC.XXXIX.

Signat.

Steenhuyſe.


LABORE ET CONSTANTIA







